HARETHI MOALLAGA

HARETHI MOALLACA

CUM SCHOLIIS ZUZENII

E CODICIBUS PARISIENSIBUS

ET

ABULOLAE CARMINA DUO INEDITA

E CODICE PETROPOLITANO

EDIDIT LATINE VERTIT ET COMMENTARIO INSTRUXIT

IOANNES VULLERS

TYPIS REGIIS ARABICIS

BONNAE AD RHENUM

APUD T. HABICHTIUM

MDCCCXXVII.

VIRO DOCTISSIMO CLARISSIMO

GEORGIO GUIL. FREYTAGIO

PROFESSORI LITT. ORIENT. IN ACAD. BOR. RHEN. P. O.

PRAECEPTORI SUO

PIE SEMPER COLENDO

HUNCCE LIBELLUM

GRATISSIMI ANIMI TESTEM

D. D. D.

EDITOR.

Cogitanti mihi et circumspicienti, cuinam inscribendum esset specimen hoc studiorum meorum, TU, praeceptor eruditissime, ob summa in me merita omnium dignissimus videbaris. Quum enim ad sacras litteras colendas in hanc academiam venirem, linguisque orientalibus addiscendis, quae ad sacros libros recte intelligendos plurimum conferunt, haud parvam operam impendere cuperem, TU, doctor eximie, perspecto consilio meo singulari amore et benevolentia me excepisti. Qua re summopere laetatus, hisce linguis, quum Theologiae simul operam navarem, animum appuli, TUISQUE praelectionibus per quatuor annos maximo cum fructu interfui. Absoluto autem studiorum academicorum cursu, quum specimen qualiscunque meae harum litterarum cognitionis dare constituissem, quo simul gratum meum erga TE animum publice profiterer, IDEM de edendis hisce carminibus optime meruisti. Non enim solum haec carmina, quae in TUOS usus magno cum labore descripseras, liberaliter mecum communicasti, sed etiam quidquid museum TUUM

ad edendum hoc specimen necessarium suppeditabat, lubenter mihi concessisti, et, ubi difficultates sese offerebant, opem TUAM *sponte praebuisti. Tot igitur tantorumque in me beneficiorum memor hasce primitias studiorum, quae sub* TUIS *auspiciis colere mihi contigit,* TIBI *sacras esse volui. Tu vero ut illas accipere digneris, nec tenuitate huiusce libelli offendaris, sed animum meum gratum et sincerum respicias, exopto summopere et obsecro. Utinam, praeceptor doctissime, litterarum orientalium, quas operibus immortalitate dignissimis exornas, ad longum tempus praesidium exstes, summoque horum studiorum amore iuvenum animos incendas, ut Orientis thesauri reconditi mox aperiantur!*

Scribebam Bonnae extremo Ianuario a. MDCCCXXVII.

IOANNES VULLERS.

usurpant adiectiva, infinitivos et participia, verbaque et sententias tam frequenter omittunt, quod praesertim de nostra Moallaca valet, ut plerumque ellipses insolentes et durissimae in illorum carminibus reperiantur. Quare antiqua carmina, quod ad linguam attinet difficiliora sunt, quam Abulolae; si autem imagines et comparationes spectantur, recentiores poetae, praesertim Abulola noster, maiores saepius habent difficultates, quam antiqui, eamque ob causam in annotationibus in sensus et imaginum explicatione maxime versabor.

Restat, ut de codice, quo in edendis Abulolae carminibus usus sum, aliquid addam. Conscripsit nempe Abulola opus poeticum, ubi varia poeseos genera ad sex usque millia versuum de multiplici rerum argumento occurrunt, cui auctor ignis excussi (سقط الزند) nomen indidit, ea nimirum de causa, ut Casiri l.l. p. 65. opinatur, quod in ipso iuventutis calore ad illud scribendum animum appulisset, vel iuveniles amores in eo potissimum lusisset. Huiusce collectionis codex, ex quo Cl. Freytagius, quum Parisiis commoraretur, delectum sibi confecit, nunc in Asiaticae academiae Pretropolitanae bibliotheca asservatur. Ex illo autem apographo haec duo carmina edi curavimus, sed sine scholiis, tum quia leviora sunt, tum ne liber nimis accresceret; ubi autem difficultates sese offerebant, scholiastae verba in annotationibus semper laudavi. Carminibus denique subiunxi brevem quidem, sed accuratam vitae Abulolae descriptionem, quae in fine eiusdem codicis legitur, eaque, ubi vitam poetae nostri narravi, maxime nisus sum. — Praeter codicem sed peioris notae in bibliotheca Paris. asservantur etiam duo codd. eiusdem operis in bibliotheca Lugdunensi num. 1574. et 1575. insigniti, et unus in biblioth. Escuriali, de quo vide Casirium loco modo laudato.

Edendis Abulolae carminibus exiguam operam dederunt viri docti, eamque potissimum ob causam haec duo carmina divulgare studui. Primum enim Fabricius (in specim. Arab.) carmen, quo incipit opus سقط الزند in lucem edere aggressus est; dein Golius (in Thom. Erpenii gram. Arab. ab eo edita) idem carmen una cum alio ex eadem collectione iteratis curis edidit. De utroque libro, quem inspicere nobis non contigit, vide Schnurreri bibliothecam Arabicam p. 45. 56. et 57.

PROLEGOMENA.

I.

DE HARETHO EIUSQUE MOALLACA.

Omissis quae de septem Moallacarum origine aetate et indole docte et subtiliter disseruerunt V. V. D. D. *Jac. Reiske*[a]), *Silv. de Sacy*[b]), *Christ. Tychsen*[c]), *E. F. Car. Rosenmüller*[d]) et *E. Guil. Hengstenberg*[e]), quae de nostro carmine eiusque auctore Arabum scriptores tradiderunt, uberius exponere placuit. Sed priusquam ipsam enarrationem aggrediamur, aliquid praemonendum de Becritis et Taglebitis, quia controversiae quaedam inter utramque tribum dirimendae ansam praebuerunt nostrae Moallacae et Amrui ben Kelthum, quam eodem quo illa tempore et occasione compositam esse constat. — Becr et Tagleb, auctores utriusque tribus, erant fratres ab eodem patre Wayel ben Kaset nati (vid. not. ad Harethi Moal. v. 16.). Regiones, quas hae tribus inhabitarunt, aut eaedem aut non ita procul inter se dissitae fuisse videntur, quia ob nimiam confinitatem saepius bella inter Becritas et Tag-

---

a) In Prologo ad Taraphae Moallaeam Lugd. Bat. 1742.

b) Primum in Magazin encyclopédique redigé par Millin An. III. tom. VI. p. 494. seqq.; dein uberius in Mémoires de l'Académie des Inscriptions etc. p. 349. seqq.

c) In Commentt. Soc. reg. scient. Gotting. recent. vol. III. class. hist. et phil. p. 235. seqq.

d) In opere Nachträge zu Sulzer's allg. Theorie der schönen Künste vol. V. fasc. I. p. 5. seqq. Lips. 1800.

e) In prolegomenis ad Amrulkeisi Moallacam Bonnae 1823.

lebitas oborta legimus. De sede tribus Tagleb haec dicit Kosegarten in Amrui ben Kelth. Moal. p. 37.: „In Arabia septentrionali, et praesertim ut videtur in terris Syriae et Mesopotamiae confinibus sedes habuit tribus Tagleb, quo factum, ut frequens ei cum regibus Hirensibus esset commercium."—De religione illorum refert Pocock. in specim. hist. Arab. p. 104. ed. White, illos, quum idolorum cultui dediti fuissent, teste Firuzabadio idolum Awal coluisse; postea eos sacra christiana secutos esse tradit Ibn Chalican apud Pocock. l.l. p. 141., quod, quum regnum Hirense per aliquod tempus legi christianae obtemperasse constet, a ratione haud abhorrere putat Kosegarten l.l. Becritae saeculo ante Muhammedem proximo per longum tempus bella gesserunt cum Taglebitis, inter quae celebratum inprimis est bellum Basus diuturnum idque internecinum, quod Taglebitae ob Coleibum principem Taglebitarum clarissimum, a Dschassas ben Morre Becrita occisum, per quadraginta annos intulerunt tribui Becr[a]). Pro fortissimis atque ferocissimis Taglebitae habentur, ut sint auctores Arabes qui velint, (verba sunt Tebrizii in Reisk. prol. ad Tar. p. 36.) si paulo Islamismus venisset tardior, verendum fuisse, ne homines illi devorarent. Maxime eminebat inter illos familia Morrah, e qua heroes fortissimi Rabiah, Mohalhel et Coleib, cui ob insignem audaciam hereditarium in suos imperium offerebatur. — E Becritarum familia Iaschkor oriundus erat auctor septimae Moallacae[b]) Hareth ben Hilliza, de quo teste Silv. de Sacy (Biographie universelle t. 19. s. v.) nil aliud constat, quam quod Moallacam suam, qua Becritarum causam contra criminationes Amrui ben Kelthum Taglebitae defendit, coram rege Hirense recitavit, qui Becritas et Taglebitas litigantes, ut foedus inter eos faceret, ad se convocaverat. De hac vero lite inter utramque tribum dirimenda dissentiunt

a) Historiam huius belli pluribus verbis exposuerunt Silv. de Sacy in Mémoir. etc. t. L. p. 378. seqq. Rasmussen hist. praec. Arab. regn. p. 110. seqq. et in Additam. ad hist. Arab. p. 9. seqq. cf. etiam Abulfeda in Pocock. spec. p. 451. seqq.

b) Dissentiunt codd. in ordine, quo septem Moallacae sese excipiunt. Harethi Moal. in omnibus codd. aut sextum aut ultimum locum obtinet vid. Menil. proleg. ad Antar. Moal. p. 20. et 21. — Sed temporis ratione, quo singulae Moallacae compositae sunt, habita, Harethi carmen tertio loco ponendum est, quem praecedunt Tarapha et Amru, sequuntur Antara, Zoheir, Amrulkeis et Lebid. vid. Reisk. prol. ad. Tar. p. 19. de Sacy in Mémoir. l.l. p. 373. seqq.

viri docti, quia ipsi Arabum scriptores diversa nobis tradiderunt. Sunt enim tres potissimum narrationes, quae de lite quadam inter Becritas et Taglebitas agitata feruntur.

Prima illorum, quam Reisk. prol. ad Tar. p. 35. de Sacy Mémoir. l.l. p. 378. et Hartmann: Die hellstrahlenden Plejaden p. 171. seqq. nostrae Moallacae componendae ansam praebuisse putant, est ipsa historia belli illius pestiferi Basus, de quo modo dixi. Sed haec a vero abhorrere, rationibus sat firmis probavit Kosegarten p. 38. et 39. Dicit enim, bellum Basus, antequam Hirae imperium acciperet Amru ben Hend, iam absolutum fuisse, neque ullum historicorum Arabum, qui res huius belli exposuerint, illud arbitro Amru ben Hend compositum esse narrare. Ipse Silv. de Sacy, postquam historiam belli Basus pluribus verbis exposuit, haec addit l.l. p. 385.: „On ne voit pas, dans le récit précédent, quelle fut précisément l'occasion des deux poëmes d'Amrou et de Hareth; et il ne paroît pas même, si l'on s'en tient à ce récit, que le roi de Hira, Amrou ben - Hind, ait eu aucune part à la réconciliation des enfans de Becr et de Tagleb."

Restant igitur duae tantummodo narrationes, quas quum alii aliter referant, integras afferam, additis simul hic illic locis, in quibus est dissensio.

Una, quam Reisk. in prol. ad Tar. p. 36. e Tebrizii historica introductione in Amrui ben Kelth. et Harethi Moal. exhibuit, et de Sacy in annotatione, margini Moallacae Antarae cod. Paris. 1416. adscripta, reperit (vid. Mémoir. l.l. p. 386.) occasionem Harethi Moal. recitandae hanc fuisse dicit: „Anno quo Taglebitae nimia siccitate premebantur, illorum quidam veniunt ad Becritas aquam rogaturi; sed repulsi ob simultatem, quae mutua vigebat, domum redeuntes septuaginta viros amittunt siti in via enectos. Taglebitae irritati bellum statuunt inferre Becritis simul ad pugnandum paratis. Congressu tamen facto, utrinque pacis componendae consilium capiunt, veriti, ne bellum vix exstinctum[a]) in novas flammas erumperet. Pacis itaque statorem ac vindicem et ar-

[a]) Tebrizius et annotationis supra commemoratae auctor animadvertente de Sacy l.l. his verbis bellum Basus innuere videntur.

bitrum litis constituunt Amru ben Hend regem[a]), qui tamen animos conciliare velle aut posse negat, nisi Becritae nobilissimos quosque suorum numero septuaginta sisterent, quos, si Becritae causa caderent, Taglebitis traderet, vel dimitteret quo vellent ire, si innocentes deprehenderentur. Consentiunt, et die quodam constituto litis dirimendae causa coram rege Amru ben Hend sese congregant. Taglebitarum causam egit 'Amru ben Kelthum, qui ad regis latus locum occupat. Hareth ben Hilliza autem, quia leprosus erat, orationem, qua Becritarum causam defenderat, quibusdam suorum recitandam demandarat, persuasus fore, ut quicunque illam bene recitaret adversarii argumenta destrueret haud dubio et prosterneret. Recitantes illam vero nonnulli quum non placerent ipsi spectanti coram et audienti, neminem intelligit aeque bene ac se ipsum locum posse tueri, quem res flagitabat, et: „Aegre quidem, ait, fero, ita me Dii ament, quod regem debeo accedere, qui septem cinctus aulaeis audiet perorantem, et discedentis vestigia lustrali aqua purgabit. At vestra tamen causa ingrati quidquid erit, libenter exhauriam, siquidem inter vos neminem video, qui personae meae satisfaciat." Abit ergo. At Amru ben Kelth.: o rex, ait, illo conspecto, visne hunc mihi opponentem inducere? Rex annuit et Hareth septem velis a rege remotus carmen suum ab initio recitat. Regina[b]) autem, quum primum illum recitantem audivit, „nullus unquam, exclamavit, tam eloquentem in perorando post septem vela se ostendit." Quo permotus rex velum tolli iubet. Illa autem repetente eadem, rex iubet unum velum tolli post alterum, donec stabat poeta super eadem cum rege storea; dein regiae paropsidis particeps factus est, regisque iussu discedentis vestigia lustrali aqua non purgata. Rebus ita gestis rex septuaginta Becritarum in pignus depositorum antias praecidit[c]), traditque

---

a) Huc usque amnotationis auctor; quae sequuntur sunt verba Tebrizii apud Reiskium.

b) Sic de Sacy hunc Tebrizii locum corruptum intellexit. Reisk. quoque Tebrizium de uxore regis hic loqui vidit, sed perperam argumentavit, illam esse eandem amicam Harethi Asmam, quam in primo carminis versu compellat vid. not. ad h. v.

c) Reisk. l.l. p. 38. ad explicanda haec verba animadvertit: „hoc captivis solebant facere, quos sine lytro, solo generosae mentis motu dimitterent." Silv. de Sacy autem alio modo quod Amru ben Hend fecit exposuit; dicit nimirum l.l. p. 387.: „En coupant les cheveux aux otages, le roi donnoit à entendre qu'il les regar-

praesectos crines Harethoï qui et perpetuo postea tenuit, dimittitque admonitum, ut nunquam nisi corpore abluto Moallacam suam recitaret."

Altera narratio, quam Reiskius ibidem p. 38. et 39. ex eiusdem Tebrizii prooemio ad septimam Moallacam divulgavit, et de Sacy in Biographie univers. l.l. paulo aliter repetivit, aliam a priori diversam refert occasionem, qua Amru et Hareth carmina sua pepigerint. Est autem haec: „Amru ben Hend, rex magnus et potens[a]), conciliata inter Becritas et Taglebitas litigantes amicitia, quamlibet tribum centum (secundum de Sacy octoginta) obsides dare iussit, qui apud ipsum manerent et mala mutua in se reciperent. Casu autem quodam, de quo dissentitur[b]), factum est, ut omnes Taglebitarum obsides perirent. Taglebitae a Becritis pretium redemtionis postulant quasi de iure et merito, quod Becritae persolvere recusant. Confluit ergo utraque tribus ad Amru regem Hirensem, ut controversiam dirimeret. Taglebitarum causam defendit Amru ben Kelthum, Becritarum Noman ben Haram. Quum autem hic adversario suo Amru ben K. qui vehementer et contumeliose in illum invehebatur, audacius sese opponeret, atque regem, qui Taglebitarum parti favebat, iratum verbis contumeliosis magis offenderet, parum abfuit, quin Amru ben Hend Nomanum interfecisset. Surgit itaque Hareth ben Hilliza, et ex tempore carmen suum effundit, arcui suo more Asiatico innixus, atque vehementissimo animi impetu, ut extrema pars arcus nervo implicitam manum non sentienti perfoderet. Moribus autem importunis et difficillimis erat rex ille, ut neminem vultu foedum adspicere dignaretur. Hareth itaque leprosus

---

doit comme légitement adjugés aux enfans de Tagleb, mais remis volontairement en liberté; et en donnant les cheveux coupés à Hareth, il vouloit sans doute marquer, que ce n'étoit qu'en considération de leur compatriote Hareth, et pour lui donner une marque de son admiration, qui'l leur accordoit la liberté.

a) Idem de hoc rege praedicat Hamza Isfahanensis in Annal. apud Rasmussen hist. praec. Arab. regn. p. 37. l. 10.; et Ibn Zeidun ibid. p. 14. not. 1. dicit, illum ob magnam suam fortitudinem et violentiam cognomen مضرط الحجارة accepisse. Aliud eius cognomen est محرّق combustor, cf. Eichhorn mon. ant. p. 192. et de Sacy Mémoir. l.l. p. 374.

b) Tebrizius l.l. p. 38. hos obsides regem in expeditionibus suis comitari solitos esse refert; facta autem aliquando excursione Taglebitas omnes venenato vento periisse, Becritas evasisse salvos.

praeducto velo declamabat. Quum vero admirabilem in perorando eloquentiae vim expromeret, rex commotus illum propius accedere iussit, donec tandem velo remoto proxime ipsi assideret. Absoluta recitatione rex sententiam pronuntians declaravit, Becritas damno Taglebitarum restituendo non esse obligatos."

Patet ex hisce duabus narrationibus, ipsos Arabum scriptores de occasione, qua Harethi Moal. composita sit, nil certi statuere potuisse. Prior enim narratio litem Becritis intulisse dicit Taglebitas ob aquam ipsis denegatam, altera ob iuvenes Taglebitas casu quodam peremtos; ex illa sequitur, ut Hareth Moal. suam prius composuerit quam recitaret, haec autem docet, poetam nostrum vehementissimo animi impetu illam ex tempore effudisse. Me quidem iudice prior narratio in universum verisimilior esse videtur; saepissime enim in Oriente accidit, ut ob aquae penuriam arma arripiantur. Altera autem plura habet, quae admitti non posse videntur. Loquitur enim ut illa de obsidibus, sed statuit, Becritas *et Taglebitas* Amruo ben Hend obsides dedisse, quorum Taglebitae forte fortuna *ad unum omnes* periissent, quod minus verisimile est; dicit quoque aulaeum regem a poeta separasse, sed *unum* tantummodo, illa septem vela, quod, quia sacer numerus in rebus quae ad religionem pertinent, qualis lustratio est, inprimis adhibetur, ad veritatem propius accedit. Quam autem occasionem dicit, qua commotus Hareth Moal. suam recitarit, illis, quae in priori narratione leguntur, praeferendam existimo Haec enim perhibet eorum, quibus Hareth carmen suum ad recitandum dedisset, *ne ullum quidem* munere suo bene perfungi potuisse, quod de Becritis, qui de salute suorum aeque ac Hareth solliciti erant, vix credas. Dein addit, Harethum idem carmen tanta eloquentiae vi ab initio recitasse, ut iudex Amru ben Hend litem e Becritarum utilitate dirimeret. Quis autem credet, unum idemque carmen, saltem magnam illius partem, plus quam semel coram iudice recitatum fuisse, et, quod magis est, hunc ob admirabilem tantum Harethi eloquentiam, non ob Becritarum causam egregie defensam huic tribui ius concessisse[a]). Quae difficultates facile removentur omnes,

[a]) Negari quidem haud potest, rationem qua Hareth Moal. suam recitarit multum ad victoriam contulisse, sed hac narratione accepta, quae hocce carmen, saltem mag-

si alteram narrationem sequimur, quae Harethum, postquam Noman ben Haram Becritarum causam male defenderat, carmen suum vehementissima animi commotione ex tempore effudisse contendit. — At improbet forsan aliquis hanc sententiam, minus verisimile esse, dicens, Harethum Moal. suam ex tempore effudisse, praesertim, quum talia carmina, quae triginta aut pluribus versibus constant et قصيدة vocantur, tum demum temporis Arabes componere incepissent [a]); prooemium saltem carminis, in quo de amata sua et camelo, qua vectus iter facit, loquitur, omisisse, atque rem ipsam statim in initio aggressum. Quod ad primum attinet, nil obstat, quominus Hareth carmen suum ex tempore dixerit; est enim, prooemio excepto, mere historicum, et quum Arabes in versibus ex tempore dicendis magnum usum habuisse constet, non est quod valde miremur, Harethum res gestas Becritarum, quae toti tribui notissimae erant, versibus pronuntiasse. Prooemium autem in Harethi Moal. haud commode omitti potuit, quia moris erat Arabibus, carmina ab amata incipere, adeoque necessarium videbatur, ut in integris et iustae magnitudinis carminibus abesse sine damno non posset. vid. not. ad Harethi M. v. 1. — Ceterum monendum est, illud in Harethi M. multo brevius esse, quam in plurimis aliis antiquioribus carminibus, (nam constat quatuordecim tantum versibus) et poetam eo, quod addidit, carminis argumento primario nil detrimenti intulisse. — Sed utut de utraque narratione statuimus, in eo consentiunt, Harethi Moallacam ob litem quandam inter Becritas et Taglebitas agitatam compositam esse, quam rex Hirensis diremit. Amru ben Hend autem saeculo sexto p. Chr. n. Hirae imperium tenuit ab anno 563. vel 564. usque ad annum 576. vel 579. [b]), unde sequitur, ut Moal. nostra intra

---

nam partem saepius coram iudice recitatum fuisse dicit, statuendum est, regem in dirimenda hac lite eloquentiam potissimum spectasse, non vero causam Becritarum egregie defensam, quod a vero abhorrere videtur.

a) Traditur enim Mohalhelum, qui haud diu ante Muhammedem, eodemque tempore cum Haretho nostro vixit, primum Casidam composuisse vide Pocock. spec. hist. p. 166. De Sacy in Mémoir. l.l. p. 351.

b) Vide seriem regum Hirensium secundum computationem Hamzae Isfahanensis apud Rasmussen hist. praec. Ar. regn. in fine; cf. de Sacy in Mémoir. etc. t. XLVIII. p. 571. tab. chron.

hos annos bello Basus iam finito composita sit. Tempus etiam, quo auctor septimae Moal. vixerit, paulo accuratius definiri potest. Quum enim in aula regis Hirensis Moal. suam recitaret, teste Asmaeo annum aetatis centesimum trigesimum quintum iam excesserat. vid. Reisk. l.l. p. 40. Hareth ben Hilliza igitur circiter initium quinti saeculi p. Chr. natus esse videtur.

Praemissis quae de occasione, qua Moallaca nostra composita esse videtur et de Haretho eius auctore dici potuerunt, ad ipsum carmen venimus, de cuius indole et virtutibus nunc dicendum est. Qua quidem in re ita versabor, ut primum de genere huius carminis eiusque metro disseram, dein argumento illius exposito virorum doctorum de Haretho iudicia afferam, quibus denique nostrum qualecunque de hac Moallaca iudicium subiungamus.

Est hoc carmen ex eo genere, quod Arabes vocant Casidam, quo, ut supra iam dixi, primus usus est Mohalhel, quem dein praeter septem Moallacarum auctores secuti sunt Tograi, Caab ben Zoheir, Abulola, alii multi. Haec poematis species, ut Ionesii (poes. asiat. com. cur. Eichhorn. p. 69.) verbis utar, intra nullius argumenti limites restringitur, sed ab una re ad alteram describendam abrupto orationis filo transit, ita ut vel praecepta, vel querimoniam, vel laudationem, vel delicias ac lusus, vel vituperationem possit complecti. Est tamen, quod recte animadvertit amicissimus meus P. a. Bohlen in commentatione doctissima de Motenabbio p. 41., in antiquioribus potissimum, ut in Harethi Moallaca, modus quidam ac norma, ad quam tale contexunt carmen, duabus fere partibus constans, quarum una in amore saepissime ficto versatur, desumtis vividissimis e vita Arabum campestrium imaginibus; altera heroem aliquem eiusque virtutes celebrat. — Quod ad formam attinet, singuli versus constant duobus hemistichiis, quae in primo versu similiter desinunt, in ceteris autem posteriora tantum simili rhythmo terminantur; modicae debet esse magnitudinis, raro enim aut plures quam centum versus aut pauciores quam viginti complectitur[a]).

---

[a]) Fusius de huiusmodi carminibus disputarunt Iones l.l. p. 66. seqq. Sil. de Sacy in Notic. et Extraits etc. t. IV. p. 315. Idem in Mémoir. etc. t. L. p. 351. et nuperrime Bohlen l.l. et p. 90. seqq.

Carminis nostri metrum ad genus Arabibus خفيف dictum pertinet, de quo vide Clerici prosod. Arab. p. 119. seqq. et Iones l.l. p. 52. seqq. Versus sunt senarii, nam singula hemistichia constant tribus pedibus, quorum unusquisque quatuor habet syllabas. Primus et tertius hemistichii pes est فاعلاتن secundus مستفعلن. Est igitur forma primaria huius metri:

فاعلاتن مستفعلن فاعلاتن   فاعلاتن مستفعلن فاعلاتن

1. —⏑——|——⏑—|—⏑——   —⏑——|——⏑—|—⏑——

Sed integri huius generis versus non occurrunt in nostra Moallaca nisi mutati. Vario enim modo in hoc carmine singuli pedes mutantur; sic pro pede فاعلاتن in omnibus sedibus saepius ponitur فعلاتن ⏑⏑——, et in sexta sede مفعولن — — —, rarius in tertia, ubi etiam semel فعلات ⏑⏑—⏑ occurrit. vid. vs. 4. Pes مستفعلن saepissime mutatur in مفاعلن ⏑—⏑—.

Rhythmus finalis قافية versuum, quem Arabes fere in quovis carmine adhibuisse scimus, in nostro carmine speciei متواتر[a]) est, et duabus syllabis ـكاءُ efficitur; sic enim desinunt ambo, ut solent, primi versus hemistichia, ultima autem ceterorum qui sequuntur versuum. Denique de versuum divisione observandum est, poetam nostrum singulorum versuum hemistichia saepius coniunxisse, quam divisisse, ita ut vocis cuiusdam initium finem faciat prioris, et vocis finis initium sit posterioris hemistichii. Causam huiusce rei in ipso metro et ratione, qua carmen nostrum pronunciatum esse supra diximus, deprehendere mihi videor. Pertinet enim metrum خفيف, quo poeta usus est, aeque ac سريع, رمل, رجز al. ad metra liberiora, quibus carmina plerumque extemporalia sunt composita. Eius generis est etiam sine dubio Moallaca nostra, ut supra demonstravimus; non est igitur quod hanc hemistichiorum coniunctionem poetae vitio vertamus, praesertim quum tale quid non solum apud recentiores, ut Motenabbium, (vid. Cl. Freyt. Caab ben Zoh. p. ٢٥. seqq. et Bohlen de Mot. p. 112.) sed etiam apud antiquiores poetas haud raro observetur, ut in Hamasa Schult. p. 416. seqq.

---

a) Pluribus de hoc rhythmo disseruit Cl. Freytagius in prol. ad Caab ben Zoheir p. 23. et 24. Ceterum de rhythmo finali conferendus est Clericus in tract. de pros. Arab. p. 149. seqq. et Bohlen de Mot. p. 101. seqq.

Carminis argumentum, quod nunc explanam, iam antea breviter exhibuerunt Reisk. prol. ad Tar. p. 35. Iones in ed. Moall. opp. t. X. p. 22. seqq. De Sacy in Mémoir. t. L. p. 390. — Poeta amatae suae discessu dolore confectus, commemoratis locis, in quibus illam antea offenderat, queritur, se nunquam visurum esse Asmam, ideoque lacrimis fundendis dies suos consumere debere, etsi fletum sibi nihil prodesse ipse profitetur. Sed igne quem Hinda accenderat conspecto, semet consolatur, sperans, fore ut alia amica ipsum ad se invitet. Dein transit ad describendas cameli qua vectus iter facit virtutes. Hisce quasi prooemio praemissis, rem ipsam aggreditur poeta, quam tractare sibi proposuerat, scilicet crimina a Taglebitis contra Becritas allata diluere, atque sibi et tribui suae innocentiam recuperare. Qua de causa statim ab initio Becritarum innocentiam profitetur, quos Taglebitae summa iniuria affecissent. Commemorat ad praedicandam Becritarum virtutem et gloriam singulas acies, quibus devicti Taglebitae excessissent, nec vindictam ab hostibus sumere potuissent. In memoriam revocat omnem quoque occasionem, qua reges Hirenses, inter quos Amru ben Hend saepius laudibus effert, Becritarum auxilio fruiti essent. Meminit porro belli inter Arabes Iemanenses et tribus ab Adnano oriundas, quo Becritae eximia virtute praestassent. Denique in postrema carminis parte ipsos Taglebitas alloquitur, illisque cum admonitione sincera tum oratione simplici, qua tribum Becritarum a multis criminibus, ipsi falso imputatis, liberat, persuadere studet, ut Becritarum innocentiam in rebus, quae utramque tribum sibi invicem infestam reddidissent, agnoscant.

Iam videamus, quodnam iudicium viri docti de Harethi Moal. tulerint. Sed primum audiendi sunt Arabum critici, quorum auctoritas in his litteris profecto maxime valet. Abu Obeida, celeber grammaticus, qui sub finem seculi primi Heg. floruit[a]), de praestantia Moallacae nostrae probante Tebrizio in prooemio ad septimam Moal. (vide Reisk. prol. ad Tar. p. 17. et 39.) haec dicit: اجود الشعرا فى قصيدة واحدة جيدة طويلة ثلاثة نفر عمرو بن كلثوم وحارث بن حلزة وطارفة بن العبد i. e. „Qui nobilissimos

a) Plura vide in Abulfed. Annal. t. II. p. 145. et in Herbelot. bibl. orient. t. I. p. 44.

poetarum se esse probarunt carmine uno, nobili, longo, tres fuere, Amru ben Kelthum et Hareth ben Hilliza et Tarapha ben Alabd." Patet simul ex hisce verbis, Harethum tale carmen, quod hic exhibemus, unum tantummodo composuisse. — Quanti porro Arabes Harethi carmen aestimarint, apparet etiam e proverbio, quo dicitur افخر من حارث بن حلزة "Illustrior Haretho ben Hilliza." Reisk. qui illud e Meidanii proverbiis laudavit, de historia quidem, quam Arabes hoc proverbio respiciunt, nil adiecit, fortasse quia in cod. Leidens. aeque ac in Berolin., quem Kosegarten l.l. p. 39. inspexit, illa desiderabatur; sed quum de Haretho nostro, ut supra dixi, nil aliud constet, quam quod Moal. suam recitarit, hoc sine dubio de gloria intelligendum est, quam Hareth carmine suo sibi aequisiverit. Eandem quam Arabes laudem Harethi Moallacae tribuit Reiskius vir magna doctrina et litterarum orientalium cognitione insignis. Verba illius in prol. ad Tar. p. 35. sunt haec: „Septima contra Moallaca est auctore suo, qui dum annum aetatis centesimum trigesimum quintum agebat, plane digna, gravis, rerum eventu magis, quam verbis, suam rem defendens, (nam pura puta ferme est historica,) maturam spirans prudentiam et subactum variis casibus iudicium, meritoque regis iudicis favorem obtinuit, στιπτοῦ γέροντος τἄλλα καὶ σφενδαμνίνου, suaeque tribui victoriam acquisivit. Inter enim est multum, dicatne Aiax, an Ulysses, maturusne senex, an adhuc florente iuventa fervidus." Hancce Reiskii sententiam omnino probo, simul additurus, quae in Moal. nostra magna admiratione mihi digna videntur. Eiusmodi est inprimis summa prudentia atque modestia, qua in diluendis Taglebitarum criminibus usus est carminis auctor. Quamvis enim Hareth ob graves criminationes, quas Amru ben Kelthum Becritis falso imputarat, magnopere iratus, vehementissimo animi impetu carmen suum recitaret, nil tamen contumeliosi orationi suae inspersit, neque arroganter quid in laudandis Becritarum virtutibus protulit, sed potius veritati, quam dicturus erat, confidens, omni qua par est simplicitate illorum res praeclare gestas exposuit. Maxime porro admiranda est verborum gravitas atque pondus, quibus totum fere carmen est refertum. His accedit in dicendo dignitas, quae seni, qualis Hareth, quum Moal. suam recitaret, fuisse dicitur, maxime convenit. Optime igitur de nostro carmine iu-

dicat Iones poes. asiat. comm. p. 72. quum dicat, illud esse plenissimum sapientiae, acuminis et dignitatis. Hanc carminis praestantiam Amru ben Hend quoque agnoscens, quum litem inter Becritas et Taglebitas agitatam dirimeret, palmam Haretho tribuit. Cetera quae de lingua, dicendi genere, imaginibus, descriptionibus aliisque elegantiis in carmine nostro obviis dicenda sunt, partim, ubi Abulolae carmina cum antiquioribus comparantur, partim ad singulos huius Moal. versus annotata reperies.

Restat ut aliquid dicam de codicibus, commentatoribus et editoribus huius carminis. Qua in re autem brevius versabor, quia plures de hoc argumento satis verbose disputarunt. Primum dicendum de codd. Paris., quorum usum praeceptor noster Cl. Freytagius eximia sua liberalitate nobis concessit. Asservantur nempe in biblioth. Paris. tres Moall. codd. num 1416. 1417. et 1455. insigniti, quorum accuratam descriptionem exhibuit de Sacy in Notices et Extraits t. IV. p. 309. seqq. cf. etiam Hengstenberg l.l. p. 14. et 15. Primus quem exaravit Rebia ben Soleiman a Heg. 982. p. Chr. n. 1574. est praestantissimus et accuratissime scriptus. — Cod. 1417. exaratus a. Heg. 1024. p. Chr. n. 1615. a librario Abdalbari Albessatini, qui linguam Arabicam parum callebat, et quod scribebat non intellexisse videtur, plenus est vitiis, et scatet mendis gravissimis tum in carmine tum in scholiis; bonas tamen nonnullas lectiones offert, et tam ad corrigenda errata pauca cod. 1416., quam ad expediendas, quae passim occurrunt, textus difficultates multum confert. In utroque cod. post singulos versus collocata sunt scholia Zuzenii. Tertius denique, cui praeter Moallacas, quibus in hoc cod. Aschae et Nabegae carmina annumerantur, dua alia poemata insunt, non adiunctum habet Zuzenii commentarium, et consentit maximam partem praesertim in Harethi Moal. cum editione Ionesii. Exaratus est hic cod. a. Heg. 993. p. Chr. n. 1585. Sed librarius nomine Derwisch ben Ali annotat, illum esse apographum codicis a. Heg. 655. p. Chr. n. 1257. scripti, quod magnam illi tribuit auctoritatem.

Apographum Freytagianum factum e codice Paris. 1416., quo in edendo hoc carmine usi sumus, in margine fert tam varietatem lectionis, e codd. Pariss. modo descriptis diligentissime depromptam, quam

annotationes nonnullas, quas ex parte codex de Sacyanus continet, quem Mich. Sabbagh Arabs tum temporis Parisiis degens ex cod. Regio Par. descripserat. Has annotationes in usum nostrum nos convertisse grato animo profitemur. Ubi ex hoc apographo proprium quid protulimus, littera S. notavimus. — Una cum hoc apographo Cl. Freytagius alium quoque libellum liberaliter mecum communicavit, in quo ordo versuum Mssc. Pariss. 1416. 1417. et 1455. accurate collatus erat cum editione Ionesii. Nos, quia dispositio versuum multum confert ad carmen recte intelligendum et critica ratione tractandum, tabulam synopticam ex hoc libello confecimus, quae exhibet ordinem versuum Mssc. Pariss. 1416. 1417. 1455. et editionis Ionesii cum nostra editione Zuzenii collatum, eamque ad calcem annotationum reiecimus.

Omissis reliquis Moallacarum codd., quos descripserunt Menil l.l. p. 27. seqq. Kosegarten l.l. p. IV. alii, commemorandi sunt codd. Bodleiani, quos in edenda Harethi Moal. in subsidium se vocasse dicit Wyndham Knatchbull. Ipse in praefat. ad Har. Moal. p. VIII. illos sic describit: „Tres maxime codices spectavi textum septem Moallakath offerentes, quos Uri designavit numeris MCCXIX. MCCLXVIII. MCCLXXIV. primus Abu'l Abbasi Scholia exhibet, secundus commentarium Persice scriptum, tertius Scholia Zouzenii: sed quas deprehendi lectionis Varietates et minus frequentes sunt et minus graves: nonnulla in notationibus commemorata, potissimum ex Scholiis Abu'l Abbasi, qui Zouzenio videri possit uberior."

Plures sunt Moallacarum commentatores inter quos notissimi Tebrizius, Ibn Nabas, Ibn Hescham et Zuzenius. Tres priores eiusdem fere generis sunt. Versantur maxime, ut recte dicit Hengstenberg l.l. p. 16., in singulis vocibus explicandis, nexum sententiarum et grammaticas difficultates parum curantes. De Ibn Heschami commentario Reiskius l.l. p. XI.: „Inspexi semel, inquit, ut viderem quid libri esset. Sed offendi nudas et ieiunas difficiliorum verborum explicationes, praeter ultimum Haretz ibn Heltza, quod egregio, ut videbatur, et densis poetarum citatis gravi, commentario instructum eminebat." De Tebrizio et Ibn Nahaso cf. Reisk. ibid. p. VII. — IX. et Menil l.l. p. 28. et 29. — Inter omnes vero Moallacarum commentatores maxime

eminet Abu Abdallah Alhosein ben Ahmed ben Alhosein Alzuzeni, cuius praestantiam inprimis laudavit de Sacy Not. et Extraits t. IV. p. 313. cf. Hengstenberg l.l. Sed scholia eius in Harethi Moal. sunt tenuiora; omisit enim fere semper historias, quas poeta singulis versibus attingit, copiose enarrare. Multo uberior autem hac in re est commentarius Abulabbasi, quem possidet biblioth. Bodleiana (vide Uri catalog. num. MCCXIX). Dolendum est Knatchbullium in observationibus suis tam pauca ex illo attulisse; est enim multis in locis praestantior scholiis Zuzenii, et ad intelligendos quosdam Harethi versus maxime necessarius. Nos omnia, quae Kn. e scholiis Abulabbasi excerpsit, in nostra editione recudi curavimus.

In edenda Harethi Moal. parum accurate et diligenter versati sunt viri docti. William Iones enim Anglus, vir magna doctrinae copia insignis, primum adornavit carminis nostri et reliquarum Moal. editionem[a]), quae exhibet carminum argumenta, versionem et textum sine notis. Quum vero Iones textum Arabicum latinis litteris expresserit, pronunciationem Anglicam secutus, nec annotationem historicam et criticam adiecerit, magnas difficultates offert haec editio, atque linguae Arabicae studiosis parum prodest. Non maiorem utilitatem praebet editio Alexii Boldyrew[b]), qui huic difficultati ita succurrere voluit, ut praemissa tabula, quae Ionesii orthographiam indicaret, textum illius in duabus Moal. litteris Arabicis exprimeret. Sed nec hic eius labor sufficit, ut Willmet (proleg. ad. Ant. Moal. p. 34) recte animadvertit, quum puncta vocalia, quorum pronunciatio Anglica multo difficilior est quam consonantium prorsus omiserit, et in harum etiam orthographia nonnunquam erraverit. Accuratissime in hoc labore versatus est Silv. de Sacy, qui textum Arabicum Ionesii ad suas regulas non modo litteris

---

a) The Moallakat; or, seven Arabian Poems, which were suspended an the temple at Mecca; with Translation and Arguments Lond. 1783. 4. Inest etiam tom. X. ed. nov. opp. Iones. 8. — Ex hac editione profluxit versio germanica Hartmanni ita inscripta: Die hellstrahlenden Plejaden am arabischen poetischen Himmel, übersetzt, erläutert und mit einer Einleitung versehen von A. Th. Hartmann, Münster 1812. 8., de qua vide Menil l.l. p. 34 et Hengstenberg l.l. p. 17.

b) Duae Moallakat Antara et Hareth sumtibus suis ed. Alexius Boldyrew, Gotting. 1808. 8.

Arabicis expressit, sed etiam punctis vocalibus instruxit. Ex hoc libello apographum sibi confecerat Cl. Freytagius, quod solita liberalitate mecum communicavit. Nos in annotatione critica cum editione Ionesii et A. Boldyrew semper contulimus hunc de Sacyi libellum, et ubi discrepat sedulo annotavimus.

Silv. de Sacy postquam has editiones Ionesii et A. Boldyrew recensuit (Biograph. univers. t. XIX. s. v. Harethi ben Hilizza p. 422.), exoptat, ut Harethi Moal. accuratius et cum commentario edatur. Cui quidem desiderio editione sua satisfacere voluisse videtur Wyndham Knatchbull, quae ita inscripta est: Harethi Moallakah cum scholiis Zouzenii e codice manuscripto Arabice edidit, vertit et illustravit Wyndham Knatchbull Oxon. 1820. 4. pg. VIII. et pg. 39. Sed licet haec editio magna cura et diligentia adornata multum habeat, quod merito laudetur, plura tamen insunt, quae in accurata editione nullo modo deprehendantur. In textu enim vocalibus instruendo Kn. non modo contra metrum sed etiam contra regulas grammaticae saepius peccavit. Interpretationem latinam verbis Arabicis nimis adstrictam et pluribus in locis non satis accuratam adiecit. Scholia Zuzenii, quae seorsim exhibuit, haud raro sunt mendosa, et locis manifeste corruptis fere nunquam affert medicinam, sed silentio praeterit. Annotationes criticas rarissime dedit, quum tamen dicat, tres sibi codd. Bodl. ad manus fuisse; et ubi veram aut meliorem lectionem in notis commendat, in textum nunquam eam recepit. In observationibus denique multa bonae frugis praesertim e commentario Abulabbasi offert, quae ad illustrandam Harethi Moal. egregie valent. Sed valde dolendum est Knatchbullii observationes iusto tenuiores esse, eumque plura omisisse, quae, quum ditissima biblioth. Bodl. optima subsidia ipsi offerret, commode animadvertere poterat.

II.

DE ABULOLA EIUSQUE CARMINIBUS.

Abulola Ahmed ben Abdallah ben Soleimam Tanuchita[a]) natus est solis occasu die Veneris tertio ante finem mensis Rabihae prioris anni 363. p. Ch. n. 973. (secundum alios 366. vid. Abulfed. Annal. t. III. p. 162) Maarrae oppido provinciae Emessae in Syria, quare etiam Maarrensis المعرى cognominabatur[b]). Puer trium (sic Abulfed. l.l. et Herbelot. s. v.) secundum alios quatuor annorum[c]) variolis oculos perdidisse traditur, unde cognomen caeci الاعمى sive الضرير ipsi inditum est. Nihilominus autem a patre suo primum eruditus, ut Jourdain l.l. dicit, anno 398., secundum Abulfedam et reliquos vitae eius scriptores anno 399. Bagdadum profectus est, ut scholas virorum doctorum, qui in celebri academia florebant, per aliquod tempus frequentaret. Annum ibi et septem

---

a) De tribu Tanuch. cf. Pocock. spec. p. 42. et 141. Eichhorn. monum. p. 144. tab. gen. XI. Annales Hamzae Isfahanensis apud Rasmussen hist. praec. Ar. regn. p. 27. seqq. et Ibn Doreid ibid p. 18. qui de origine vocis تنوخ haec refert: „Tanuchitae vocabantur quia subsistebant (تنخوا) apud fontem Hagari (هجر) urbis primariae in Bahrein ibique foedus sanciebant." Plurimos qui a Tanuch originem duxerint, Christianos fuisse, tradunt Ibn Chalican apud Pocock. l.l., Herbelot s. v. Abulola, alii.

b) Hoc cognomen absolute positum, semper de Maarra — Alnohmani, celebriore oppido intelligendum est. vid. Schult. in vita Saladd. in ind. et Cl. Freytag. in annott. ad sel. ex hist. Hal. p. 57. ubi haec dicit: „Antea hoc oppidum (scil Maahra-Alnohman) a situ nomen Maahrra-Himz (Maahrra Emessae) habebat. Nomen Maahrra-Alnohman ab Alnohmano ben-Baschir Anzarita (apud Schult. الصحابى Muhammedis sodale) accepit, qui Muahwijjae tempore huic cum Emessa praeerat. Cognomine autem a Maahrra-Mazrin distinguitur."

c) Vid. Casir. bibl. Escurial. t. I. p. 64. de Rossi dizion. s. v. Iourdain in biographie univers. t. I. s. v. Silv. de Sacy in Not. et Extr. t. IV. p. 229. et auctor

(secundum Abulfed. et Iourdain sex) menses degens magnam quidem cepit utilitatem e viris doctis huius urbis, nullius autem illorum omnino discipulus fuit, ut Abulf. et Herbel. referunt. Tum Maarram reversus fixit sedem suam, eamque ob causam et quia oculos amiserat sibi ipsi nomen رهن المحبسين i. e. pignus carcerum imposuit. Aetate octoginta sex (secundum de Rossi s. v. octoginta quatuor) annorum minus viginti quatuor dierum mortuus est Abulola inter preces vespertinas die Veneris tertio mensis Rabihae prioris anni 449. p. Ch. n. 1057., postquam sapientia, linguae vernaculae peritia et carminibus, quae iuvenis undecim annorum componere inceperat, magnam sibi famam comparaverat. Haec tantummodo de vita poetae constant. Agamus nunc de religione Abulolae eiusque in poesi facultate eximia, cui summam laudem tribuunt Arabes.

In diversa abeunt qui de religione Abulolae loquuntur; alii enim Sabaeum aut alienae quam Muhammedanae religionis asseclam, alii pravum, alii verum Muhammedanum, alii denique omnium religionum derisorem illum fuisse contendunt. Eorum, quibus prima sententia placet, alii Abulolam Indorum sectam amplexum fuisse volunt, propterea quod per quadraginta quinque annos ab esu carnis ovorum et lactis abstinuerit, nec dolorem animalibus inferri voluerit[a]); alii Christianum, ut plurimos Tanuchitas, illum fuisse, dicunt[b]), quod minus verisimile est, quia Abulfeda contemptae Christianae religionis specimina ex illius Diwano divulgavit[c]). Qui pravum Muhammedanum Abulolam vocant, maxime nituntur ipsius versibus, quibus dogmata Muhammedis illum derisisse manifestum est[d]). Nihilominus autem non defuere, qui Abu-

vitae Abulolae in fine apographi Cl. Freytag., quam editioni nostrae inseri curavimus p. ٣٩; ibi quoque ratio, qua poeta oculos perdiderit, accurate describitur his verbis: „Anno 367. caecus factus est *Abulola,* nam dextrum illius oculum albi quid tegerat, sinistro iam amisso.” Aliter caecitatem Abulolae narrat Douletschah in opere suo تذكرة الشعراء inscripto, de quo retulit Silv. de Sacy l.l.; dicit nimirum, poetam nostrum vel in ipso vitae fine oculos perdidisse. Fuerunt etiam teste Abulfeda l.l., qui Abulolam sine oculorum lumine natum perhiberent.

a) Conf. Abulfed. Annal. t. III. p. 164. Herbelot l.l. et De Rossi s. v.

b) Vid. Herbelot. et de Rossi s. v. et Pocockii not. ad port. Mosis. Oxon. 1655 p. 240.

c) Vid. Abulf. l.l. p. 164. vs. 2. et p. 166. vs. 6. cf. Herbelot. s. v. et Pocock. l.l.

d) Tales versus leguntur apud Abulfed. l.l. p. 164. vs. 4. 6. 7. et p. 166. vs. 1. seqq. et Pocock. l.l. p. 239. et 240.

lolae ορθοδοξίαν strenue propugnarent. Inter hos primum locum occupat Abu Muhammed ben Alsajed Albathlusi ابو محمد بن السيد البطلوسي Hispanus, qui ineunte quinto Hegirae saeculo genere et doctrinae laude claruit, et non solum commentario illustravit Abulolae carmina ordine alphabetico digesta, sed etiam librum apologeticum confecit, quo omnia eius scripta defendit et ab adversariorum censura vindicat[a]). Inter recentiores Pocockius Abulolae fidei pravitatem defendere et argumentis confirmare studuit, poetam nostrum formulae Muhammedanae vere fuisse addictum[b]). — Rectum autem, ut opinor, illi viderunt, qui Abulolam suam propriam religionem habuisse, ceteras vero omnes derisisse dicunt[c]). Hoc inprimis demonstrant versus ipsius poetae apud Abulf. l.l. et Herbelot. s. v., quibus Iudaeorum et Christianorum religiones aeque ac Persarum et Muhammedanorum impudentissime deridet atque vanitatis et errorum accusat:

Demiror Cosroen eiusque asseclas sibi faciem urina vaccarum abluere,

---

a) Conf. Casirii biblioth. Escurial. tom. I. p. 64.

b) Vid. Pocock. l.l. p. 238. seqq. — Mirum est Abulolam in versibus suis sibi saepius repugnare. Sic in Abulf. Ann. l.l. p. 164. leguntur versus poetae nostri, qui resurrectionem manifesto negant. Dicit nimirum ibi:

Perhibent, me aliquando esse resurrecturum post longam in sepulcris quietem,
Et possessurum paradisum, in quo delecter inter puellas venustis oculis praeditas et pueros pocillatores.
Quodnam menti tuae obvenit, o miser, ut tantas ineptias effutiveris? —

Idem aliis verbis clarius expressit Abulola apud Pocock. ll. p. 239 et 240:

Ridemus, at risus a nobis stultitia est, oporteret enim in superficie terrae degentes flere;
Comminuunt nos tempora, ac si essemus vitra, nos vero fusione nova reparandi non sumus.

Apud eundem vero Pocock. p. 238. leguntur etiam versus eiusdem Abulolae illis quos modo allegavimus prorsus contrarii, qui eorum, quae ab omnibus orthodoxis de resurrectione creduntur, summam optime exhibent:

Creati sunt homines aeternitati, et fallitur secta quae existimat, eos natos interitui,
Siquidem transferentur a loco operum ad locum miseriae aut felicitatis.
Decubitus mortis somnus est, quo requiescit corpus, et vita *futura* quasi resuscitatio e somno. —

Omnia haec loca et quae sequuntur brevitatis studio latine tantum apposui.

c) Vid. Reisk. in Additam. ad Herbelot. bibl. Or. t. IV. p. 694., de Rossi, Iourdain s. v. et Casirii biblioth. Escurial. l.l.

Et Christianos dicentes, Deum aliquando iniuria fuisse affectum atque oppressum, nec vindictam sumsisse,

Et Iudaeos asserentes, Deo placere aspersionem sanguinis et odoratum nidoris,

Et homines qui confluunt e finibus terrae ad iactandos silices et osculandum lapidem.

O miras illorum opiniones! adeone illae occaecant omnes homines, ut veritatem perspicere non possint?

Conferantur etiam versus in Abulfedae Annalibus l. l. p. 166. v. 6. et 7. — Qui haec perlegerit, sententiam nostram de religione Abulolae statim probabit. Nec mirum est, poetam talem se gessisse. Videtur enim caecitate qua laborabat quasi impulsus inde a iuventute sua ad philosophiae studium sese contulisse, quam Arabes tum temporis sub praesidio Abbasidarum non sine magno fructu excolebant. Quantum autem detrimenti e philosophandi studio captura esset Muhammedana religio, ipse Muhammedes bene iam intellexerat. Timuisse enim videtur, ut recte dicit Bohlen l.l. p. 10., ne, aut ingeniis philosophiae cultura perspicacioribus factis, multorum suae religionis locorum vanitas et error detegeretur, atque ita homines a suo in ea sectanda studio paulatim desisterent, aut sectis variis ortis totum Muhammedanorum corpus in varia sibi invicem infesta membra dissecaretur. Quare unicuique suorum lege interdixerat propheta, ne huic litterarum generi se dederent. — Abulola magnos in philosophia fecit progressus, eamque ob causam a praestantissimo Arabum historico Abulfeda sapientis (عالم) cognomine insignitus fuisse videtur; conscripsit enim opus mere philosophicum, quo vanitatem rerum mundanarum, ridiculum morum humanorum, religionum vulgarium nuditatem et intellectus humani insufficientiam exponit[a]). Non est igitur quod miremur, Abulolam virum peracutum tam in Muhammedanismo, in quo erat educatus, quam in ceteris religionibus multas ineptias detegisse; si autem in Christiana religione nugas inve-

---

a) Conf. Reisk. annot. ad Abulf. Annal. t. III. p. 677. Inscriptus est hic liber لزوم ما لا يلزوم i. e. *Cohaesio non cohaerentis*, quia continet meditationes de rebus universis sine ordine scriptas sed ordine alphabetico dispositas. Asservatur in biblioth. Lugdun. sub num. 1572. et 1573.

nire sibi visus est, mysteriorum eius ignarus, nihil mirum. Haec sufficiant de religione poetae. —

Iam venimus ad alteram eamque praecipuam huius capitis partem, qua de carminibus Abulolae eiusque in poesi laude eximia agamus, quae vulgo illi tribuitur. Pretium autem poetae ut recte cognoscatur, demonstretur necesse est, quaenam sint propriae illius virtutes, et qua in re poeta cum antiquioribus consentiat, illos imitetur aut relinquat; deinde quantum indoles aetatis ipsiusque poetae res et fata ad excolendum eius ingenium valuerint. Perlegenda hanc ob causam non solum omnia huius poetae carmina, sed, quod magis est, antiquiorum etiam poetarum et recentiorum, qui eum praecesserunt. Quod si quis faceret, eximio quidem adiumento rem litterariam ornaret; sed tamen maximas ei difficultates removendas esse quis est qui non videat? Tale quid autem nullus a nobis hic exspectet; nos enim praeter carmina aliquot Abulolae tam huius poetae, quam ceterorum, quae nondum prodierunt opera, prorsus deficiunt, et si ad manus essent, libere fateor, tempus quoque ac vires. Superest igitur, ut ex hisce duobus, quae primum divulgantur, Abulolae carminibus cum antiquioribus comparatis de pretio poetae nostri iudicium faciamus. Primum autem de forma illorum externa disserendum est.

Carmen, quod primo loco posuimus, scripsit Abulola, ut responderet poemati, quo Abulkasem Ali ben Hasan illum laudaverat, rationem simul habens Dschalabitarum. Pertinet ad idem genus, quod praeter septem Moallacarum auctores plurimi veterum, et recentiorum Arabum poetae adhibuerunt. De forma huius generis sive Casidae supra iam disseruimus; hic de tenore tantum, quem fere in omnibus antiquiorum poetarum Casidis observatum reperimus, quaedam addere liceat. Tale scilicet poema Arabes plerumque aut ab amoribus ordiri, aut amorum descriptionem medio poemati apte intexere solent; deinde equum aut camelum describunt quo vecti deserta peragraverint, et postea ad argumentum praecipuum uberius tractandum properant, donec per suavem rerum varietatem carmen deducentes, lapsu quodam molli et aequabili in clausulam quasi subito cadant. vid. Ion. poes. as. com. p. 69. Abulola aliam ab hoc tenore plane diversam ingressus est viam.

Statim enim in initio Casidae omissa amorum descriptione, laudibus effert Abulkasemi, quem celebrat, virtutes scilicet integritatem, eximiam in poesi facultatem, potentiam atque summam munificentiam. Accedit singularis amor, quem in locis quo commorabatur sibi conciliaverat. Deinde laudat Dschalabitas, tribum Abulkasemi, quorum principem hunc esse dicit. His praemissis commemoratione Saidi ducitur poeta ad describendum iter nocturnum Abulkasemi, quum Bagdadum relinquens Alepum proficisceretur. Multus est in hac carminis parte in depingendis gravissimis molestiis ac ingentibus periculis, ut iter Abulkasemi tanquam difficilimum describat. Perstringit quoque hac occasione tribum Okeilitarum, quos avaritiae et inhospitalitatis insimulat, iisque Abulkasemi liberalitatem tanquam exemplum proponit, cuius fortitudinem et innocentiam iterum mirificis coloribus depingit. Tandem addit in fine poematis admonitionem quandam, qua praestantiam carminum Abulkasemi, quam supra iam laudarat, magis extollere studet, clauditque carmen se ipsum praesidem poetarum vocans, quem omnes sequi et imitari debeant.

Metrum quo usus est Abulolá in hac Casida est طويل sive longum, quod ob summam suam gravitatem Arabicae linguae ingenio est maxime accommodatum, et ab antiquioribus poetis fere semper adhibitum[a]. Versus sunt octonarii, nam constant pedibus فعولن et مفاعيلن alternatim positis, quorum uterque quater repetitur. Est igitur forma primaria huius metri:

فعولن مفاعيلن فعولن مفاعيلن   فعولن مفاعيلن فعولن مفاعيلن

i. e. ⏑ – – | ⏑ – – – | ⏑ – – | ⏑ – – –
⏑ – – | ⏑ – – – | ⏑ – – | ⏑ – – –

Sed integram hanc formam rarissime adhibuerunt veteres poetae, excepto primo carminis versu, ubi saepius occurrit, ut in Amrulkeisi Moallaca v. 1. Habent autem aliud huius metri genus, in quo pro ultimo pede مفاعيلن primi et secundi hemistichii semper positus est pes مفاعلن ⏑ – ⏑ –. Hanc formam, quae fere in omnibus antiquiorum poetarum carminibus occurrit, adhibuit quoque Abulola noster, saepius

a) De hoc metro vid. Clerici prosod. Arab. p. 35. seqq. et Iones l.l. p. 29. seqq.

autem pedem فعولن decurtavit in فعول ⏑ – ⏑. Rhythmus finalis in hoc carmine tribus syllabis ـَـامِيهْ efficitur, quarum prima et tertia sunt longae, secunda est brevis, eamque ob causam, quum sint duae litterae motae inter duas litteras quiescentes (حرفان متحركان بين ساكنين) ab Arabibus metricae artis peritis قافية متداركة appellatur. In voce enim تامِيهْ primi versus, quae posita est pro تامِيهِى duae litterae motae seu vocali affectae, nempe ميم et هاء, sunt inter duas quiescentes seu vocali carentes, nempe inter الف et ياء.

In altero carmine, occasione itineris, quod avunculus Abulolae Ali ben Muhammed in Africam susceperat, scripto alloquitur Abulola hunc avunculum, describit longinqua illius et diuturna itinera, terra marique suscepta, quae maximis periculis coniuncta pingit, eumque admonet, ut saluti suae consulens itineribus faciendis finem imponat, atque residuam vitae partem apud propinquos transigat.

Metrum huius carminis vocatur وافر sive exuberans, de quo vide Clerici pros. p. 65. seqq. et Ion. l.l. p. 36. seqq. Versus sunt senarii, nam constant pede مفاعلتن sexies repetito. Est igitur forma huius metri primaria:

مفاعلتن مفاعلتن مفاعلتن   مفاعلتن مفاعلتن مفاعلتن

i. e. ⏑ – ⏑ ⏑ – | ⏑ – ⏑ ⏑ – | ⏑ – ⏑ ⏑ –
⏑ – ⏑ ⏑ – | ⏑ – ⏑ ⏑ – | ⏑ – ⏑ ⏑ –

Sed integri huius generis versus nunquam occurrunt nisi mutati. Ponitur enim pro ultimo pede primi et secundi hemistichii semper فعولن ⏑ – –; et in prima, secunda, quarta et quinta sede saepius occurrit مفاعيلن ⏑ – – –, semel tantum in quinta sede متفعلن – ⏑ ⏑ – vid. vs. 27. Rhythmus finalis in hoc carmine duabus syllabis ـَـادَا efficitur et vocatur قافية متواترة de quo vide Cl. Freytag. prolog. ad Caab ben Zoheir p. 23. et 24. supra iam laudatum.

Huc usque de forma externa horum carminum sermo erat, nunc de pretio poetico et dicendi genere disserendum est. Abulolam magnum sui temporis poetam fuisse, satis probant haec duo carmina, quibus insunt virtutes haud spernendae, verum optimis quibusque poetis dignissimae. Gaudent enim non solum varietate argumenti artificiosa, sed etiam multis laetis et pulcris imaginibus, variis descriptionibus et gra-

vibus sententiis. — Maxime delectat poeta noster figuris et comparationibus, ita ut nullus fere versus deprehendatur in quo non occurrat imago quaedam vel ex naturae ambitu, vel ex vita communi, vel ex historia, vel ex religione aut superstitione desumta. Quare Reisk. in annot. ad Abulfed. Annal. t. III. p. 677. recte dicit: „Tam docta tam variegata similitudinibus carmina nullus alius Arabs quam ille scripsit." Abulola igitur aeque ac praeceptor eius Motenabbi merito doctissimus Arabum poeta nominandus est, quia imagines suas et comparationes ex universo doctrinarum, quae tum excolebantur, ambitu desumsit. Sed fatendum est, illum ob frequentem earum usum saepius quoque in eligendis et adhibendis imaginibus modum excessisse, et plerumque ut Motenabbi quaesita et contorta magis intendisse quam naturalia et sana. Quare eius versus saepissime frigent et languent, imagines et comparationes nimis sunt audaces et putidae, eamque ob causam haud raro absurdae. — Descriptiones, frequentissime in Abulolae carminibus obvias, quod attinet, valde mirandum est, poetam a puero caecum, ut eum fuisse perhibent, qui omnium, quae antea viderat, nonnisi rubrum colorem se memoria tenere dicebat[a]), in carminibus suis res diversissimas tanta facilitate ac veritate describere, aliosque colores tam apte disponere potuisse. Quam quidem difficultatem Douletschah l.l. ita expedire voluisse videtur, ut poetam vel in ipso vitae fine oculos perdidisse contenderet. Sed quum plures, qui vitam Abulolae narrant, hac in re ab illo dissentiant, ut supra ostendimus, tenendum est, quod iam Lessingius l.l. monuit, Abulolam audiendis rerum diversissimarum descriptionibus illas veluti praesentes animo suo proposuisse, eiusque vim imaginandi illis percipiendis maxime idoneam fuisse. Haec scripta quoque illius confirmant, quibus poetam nostrum rerum imagines vividissimo animo concepisse patet. — Si igitur Abulolae carmina hac ex parte cum antiquioribus comparantur, non possumus, quin illis haec longe praeferamus. Carminum enim in Hamasa et Moallacarum auctores aliique multi veterum poetarum sententiarum simplicitate magis et gravitate ac verborum pondere poemata ornare solent, quam imaginum et compara-

---

[a]) Vid. Iöcheri Allgemein. Gelehrten-Lexicon s. v. et Lessingii Collectanea opp. t. XV. p. 12. seqq.

tionum frequentia. Ubi autem imaginibus utuntur aut comparationem instituunt, aut describunt, naturam fere semper sectantur, ideoque in imaginibus venustate et amoenitate, in descriptionibus pulcritudine et elegantia quam maxime excellunt. Attamen Abulola hanc ob causam magis admirandus quam vituperandus est; minime enim parvi ducendum, in una eademque re describenda recentes semper imagines paratas habere, aut semel usurpatis novitatem dare, quod e carminibus quae hic prodeunt satis elucet; quare poetam nostrum ingeniosum et peracutum nominare non dubitamus.

Linguam Arabicam, de qua dicendum restat, Abulola aeque ac praeceptor eius Motenabbi (vid. Abulfedam in carmine Motenabbii quod Horstius edidit. p. ٢) perspectam habebat, quod omnes viri docti uno ore confirmant. Praeclara linguae vernaculae peritia partim cognoscitur e scholiis doctissimis in Hamásam, Motenabbium et in multos alios poetas, quae discipulus Tebrizius, cui omnia dictitabat[a]), in commentariis suis praestantissimis posteritati tradidit; partim e carminibus illius universis, quae, quia plerumque ut Motenabbi lusibus ex arte scriptoria et a grammatica petitis delectat[b]), saepius sunt artificiosissima atque intellectu difficillima. Tale quid autem in aureae aetatis scriptoribus nusquam reperies. Ceterum monendum est poeticum Abulolae dicendi genus omniumque recentiorum poetarum magis ad solutam orationem vergere, quum contra Moallacarum et carminum in Hamasa auctores fere semper poeticis verbis utantur, usitatis autem nonnisi in rarissima significatione et constructione; porro loco substantivorum

---

a) Vid. Reisk. prol. ad Tar. p. 8. Praeter Tebrizium plures alios discipulos Abulola habuisse videtur. Nam Herbelot s. v. duos, teste Ienes. (poes. as. com. p. 361.) praecipuos Persarum poetas Khakani et Feleki ex illorum numero fuisse asserit, dicens, Abulolam illis primum operum suorum, سقط الزند inscriptum et in Oriente maximi aestimatum, praelegisse; et Douletschah l.l. alium quendam qui vocatur Abu Said Rostami illis accenset, cuius ope Abulola Chalifam, ut carmina sua coram ipso recitaret, semper adiisset.

b) Vid. Bohlen de Mot. p. 106. Horstium l.l. p. 12. et 13. Reiskii epist. ad Lessing. in huius operis Vermischte Schriften inscripti vol. XXVIII. p. 416. seqq. et Additamenta ad Herbelot. bibl. Or. t. IV. p. 694. Idem Reiske affert versum Abulolae huc respicientem, ubi camelos defatigatas ob curvum illorum incessum cum littera ن comparat. cf. not. ad Abulolae carm. I. v. 36.

HARETHI MOALLACA.

1. Indicavit nobis discessus sui consilium Asma, saepiusque hospitis nos taedet praesentiae;
2. Post consuetudinem quandam a nobis cultam vel in tractu lapidoso Schamma, vel in eius loco Chalsa, *a mea regione* minime remoto,
3. Vel in Mohajjat, vel in Siphah, vel in Anak Fatak, vel in Adseb, vel in Wafa,
4. Vel in hortis Kata, vel in vallibus Schoreib, vel in Schobatan, vel in Aila.
5. Non videbo *Asmam,* qua ibi fruitus sum, ploro igitur hodie insania actus, sed quidnam reddit fletus?
6. Ast ante oculos tuos accendit Hinda absens ignem, quem clare ostendit regio alta.
7. Et conspexisti eius ignem e longinquo in *tractu* Chasasa, sed absit ut eo calefias!
8. Quem accenderat ligno inter Akik et Schachzein, lucis splendore fulgentem.
9. Ego vero iam auxilium petam contra moerorem, quando hospitem iter acceleratum abducet,
10. A celerrime incedente instar struthionis *camelo,* pullorum matre, deserta incolente, longo collo praedita.
11. Quae percepit sonum occultum, quamque exterruerunt venatores tempore pomeridiano, vespera iam appropinquante.
12. Vides pulverem pedibus nunc in altum levatis, nunc terram percutientibus a tergo illius *orientem,* similem atomis,
13. Atque soleae corium huc illuc dispersum, deserto laceratum.
14. Ea me oblecto meridie, quum omnes sollicitudine affecti similes sunt camelo morti devotae, luminibus orbatae.

15. Gravia autem infortunia et rumores ad nos pervenerunt, quibus vexamur et affligimur:
16. Scilicet fratres nostri *e familia* Arakem iniuste in nos invehuntur, dictis eorum inest importunitas.
17. Confundunt innoxium quemque ex nobis cum noxio, et innocentia innoxio nil prodest;
18. Nam perhibuerunt, omnem, qui percusserit principem, esse consanguineum nostrum, atque a nobis adiuvari;
19. Decreverunt rem vespera, et illucescente die clamores *belli* ediderunt.
20. Tam convocantium et respondentium, quam hinnitus equorum, camelorum vociferatione permixti.
21. O tu, qui verbis exornatis apud Amru nobis obtrectas, eritne illis confirmatio?
22. Ne putes nos oppressos esse calumniis tuis, antehac enim hostes falso nos criminati sunt.
23. Semper eramus, licet odio nos prosequerentur homines, arcibus nostris et gloria invicta elati;
24. Quae iam ante hunc diem obcaecarunt oculos hominum ira et invidia plenos.
25. Quasi infortunium, quum nos affligeret, offendisset verticem montis nigri, a quo dissipantur nubes;
26. Vultu severo repellens calamitates, non frangitur infortunio gravissimo.
27. Aramo ortus ille. talem virum oportet cursu cingant equi, impedientes, quominus per hostes suos e patria expellatur.
28. Rex iustus et praestantissimus hominum, cuius virtutes laus non aequat.
29. Qualescunque res arduas, quas nobilissimis diiudicandas demandare volueritis, nobis committite.
30. Sciscitantibus vobis quae acciderunt inter Milhat et Sakib, offerent se mortui et vivi;
31. Et diligenter inquirentes, nam diligens inquisitio hominibus iam suscipienda est, videbitis morbum et sanitatem;
32. Aut si potius tacetis de nobis, tum similes erimus conniventi, in cuius cilio est festuca;
33. Sin vero recusatis quae postulavimus, quis tum est ille, quem accepistis nobis esse superiorem?
34. Nostis utique dies illos, quibus se invicem bello petebant homines, et quaeque tribus clamorem edebat.

35. Quum instigavimus camelos iter ingredientes e palmis Bahrein, *et semper procedentes*, donec prohibuit illos Hisa.
36. Tum iter deflexímus contra Tamimitas, et ingredientibus nobis mensem sacrum tribuum filiae erant captivae;
37. Neque fortis in campo aperto se sustinere, neque infirmus fuga sibi consulere poterat.
38. Non liberarunt nos fugientes cacumina montium, terraque lapidosa, peditibus difficilis.
39. Rex imperio suo subiiciens homines, quorum nemo illum aequiparat.
40. Num pariter ac tribus nostra *hostium impetum sustinuistis*, postquam Mondir in pugnam exivit? nosne filio Hind subditi?
41. Quem Taglebitarum occiderunt, is inultus cecidit in pulverem prostratus.
42. Quum *rex* tentorium Maisunae figi iussit in Alja et in propinquiori ipsi regione Audscha;
43. Convenerunt ad illum latrones maligni ex omni tribu, ac si essent aquilae;
44. Qui duxit illos secum portans aquam et dactylos; et voluntas Dei contingit scopum, qua miseri sunt infelices.
45. Hos quum temere *ad pugnam provocare* optastis, vobiscum congredi coegit voluntas *vestra* temeraria.
46. Non subito vos adorti sunt, sed ostenderunt vapores meridiani corpora eorum illustri iam die.
47. O tu, qui nos calumniaris coram Amru, num his abstinebis?
48. Hic est *rex*, penes quem sunt tria excellentiae nostrae documenta, quorum singulis inest vis probandi.
49. Documentum dat Oriens regionis illius inter duos montes adveniente Maad, quum quaeque tribus vexillis instructa erat;
50. Congregantes sese circa Keis loricatae, quae utebantur duce Iemanensi, simili saxo albo.
51. Quot iuvenes ex ingenuis feminis natos, quos cohibere non poterant nisi *gladii* splendentes, longi.
52. Repulimus ictibus, *ut profflueret sanguis*, quasi emitteretur ex ore uteri aqua;
53. Ac propulsavimus illos versus rupes Thahlan, dum femora *eorum* sanguine tincta erant.
54. Percussimus iis frontem confodiente ictu *hastae*, ut situlae commoventur in aqua putei copiosa;
55. Et tractavimus illos sicuti novit Deus, nec fuit pereuntibus sanguinis ultio.

56. Post haec interfecimus Hodschar, filium dico Omm Katam, Persica armis viridibus armata legione defensum;
57. Leo in pugna, fulvus, sonante gressu incedens, et instar veris, quum advenit annus pulverulentus.
58. Deinde fregimus Amrulkeisi vincula, postquam diu vinctus erat et vexatus;
59. Cum equis, equis *inquam* Ausitarum erat legio, ac si esset collis parva.
60. Non timore perculsi eramus *belli* pulvere tecti, quum illi tempore occursus terga verterent, igne *belli* ardente.
61. Denique poenas repetivimus a rege Gassanitarum ob caedem Mondiri inviti, nec fuerunt, qui ulciscerentur sanguinem.
62. Et adduximus ad eos novem reges illustres, quorum praedae erant opimae et praeclarae.
63. Et *procreavimus* Amru filium Omm Onasi post breve tempus, quum dos nobis allata esset.
64. *Tali affinitati* conveniens admonitio prodeat ad populum, ita inter se coniunctum, ut dersertum excipiunt deserta.
65. Mittatis igitur superbiam et ignorantiam simulatam; sin vosmet ignorare simulatis - ast in simulatione est morbus.
66. Recordemini pactum Dsu'lmadschaz, et quae ibi proponebantur foedera et sponsores:
67. *Scilicet* ut caveatis ab iniustitia inimicitiaque; anne violabunt, quae in tabulis *sunt exarata,* libidines?
68. Scitote nos vosque in eo quod statuimus die, quo discordes eramus, aequales fuisse.
69. Est inanis res et iniusta, ei comparanda, si mactatur pro parte gregis ovillae *destinata* dorcas.
70. Num in nos conferendum crimen *tribus* Cendae, quod incursione hostili *vos* diripuit eius dux? num a nobis est remuneratio?
71. Num nobis assignanda culpa Ibad, ac si suspendantur dorso onusti iam *cameli* onera?
72 Non ex nostris erant illi ad contentionem excitati, neque Keis, neque Dschandal, neque Hadsdsa.
73. Num *nobis attribuendae* iniuriae Atikitarum? nos quidem a culpa vestra, si fidem violastis, profecto liberi sumus.
74. *Invaserunt vos* octoginta Tamimitae, manibus tenentes hastas, quarum cuspides mors;

75. Reliquerunt illos ferro interemtos ac reversi sunt praedas agentes *tantas*, ut *agasonum* cantus surdas redderet *aures*.

76. Num in nos conferendum crimen Hanifae, vel quos collegit bellatores campus pulverulentus?

77. Num nobis assignanda culpa Kodaae? nos vero nequaquam rore iniquitatis illorum sumus conspersi.

78. Deinde venerunt reposcentes, sed non reddita illis est *camelus* neque nigra neque alba.

79. Non profanarunt illi sacra Rizatarum in collibus Nitah, nec male precati sunt illis.

80. Postremo reversi sunt terga fracti; et *odii* sitim non explebit aqua.

81. Postea *vos adorti sunt* equites cum Allak, quibus neque misericordia neque clementia.

82. Hic est rex iste et testis dici Al Hajarain, quo magna *erat* calamitas.

CARMEN ABULOLAE PRIMUM

QUO RESPONDET POEMATI ABULKASEMI IN LAUDEM SUI IPSIUS DICTO RATIONEM SIMUL HABENS DSCHALABITARUM.

1. Te petit, quamvis sidus Orionis intercedit inter ipsum eiusque desiderium, inimicus, qui audet lunam, quum plena est, opprobrio afficere.
2. Etsi carmina cuncta avibus comparari possunt, attamen non aequant aquilae eius turtures.
3. Et si *ingenii nostri* vallis carminum producit plantas, at occultari non potest Atsla *arbor* eius propter Thomamam *plantam.*
4. Non pensare potest legitimum *pretium* carminis tui dives, etiamsi mundum pro pretio offerret.
5. Ne laudandi tui officium mihi imponas, mens enim mea huic rei perficiendae impar est.
6. Habitas verticem summum excellentiae, ita ut ipsae ferae nobiliores illius *montis* agni esse cupiant.
7. Et muscus fragrans *odore* de se glorians dicat arroganter: „ego sum pulvis illius."
8. Quodsi fugiens pervenerit ad radices huius montis *dorcas,* ibi parat cubile secura sub eius tutela.
9. Loca sunt, in quibus, si ullo modo vi repelli mors posset, incolae mortem non formidarent.
10. Quando manus tuae efficiunt, ut nubes auri super petentes ascendat, non acquiescunt pluvia leniter defluente.
11. Duae sunt nubes albae; ex quo has nobis creavit Deus, non respicimus nubes eius nigras.

12. Ac si esses cisterna nubium, quae demittit se ad aquantes, donec satiavit undis suis,
13. Vel uniones maris summae aquae innantes, ut eligant homines inter se nexos.
14. Ac si esses angulus Caabae, summa dignitate donatus, qui visitantibus ad se salutandum obviam iret.
15. Erogasti copiosas opes, quas paraveras, in qua re obtemperasti tempori priusquam *opes aliter* iudicarent.
16. Si Alexander easdem ac tu possedisset opes, murum exstruxisset ex auro purissimo.
17. Sed num reponit leo victum diei unius, quum formica alimenta recondit annua?
18. Quot regiones reliquisti, corde principis matutino tempore discessus ingemiscente!
19. Parum abfuit, quin Zephyrus illius regionis nobis indicasset suum tui amorem et desiderium.
20. Comparandus es equo celerrimo, qui iamiam languens praecurrit equos, et quomodo cursu certari potest cum eo post diuturnam quietem?
21. Similis leoni robusto, quem continuo cingunt famuli leones e nobili stirpe a fronte et a tergo,
22. Dschalabitae, mittentes liberalitatis cohortes, et impetum facientes eius (liberalitatis) agmine stipati.
23. Num vero arrogabit sibi nox caliginosa, quod stellae lucidae obscuritatis suae splendore solis fulgent?
24. Non est causa multitudo sagittarum adversario bello exardente, cur gladio suo careat.
25. Non assequitur cursu Arabicum *equum* ignobilis stratu suo atque ornatu ephippii et fraeni.
26. Quicunque examinaverit gladios suos ante pugnam, distincte discernet acutum et obtusum.
27. Si non fuisset Said, *Ali*, noctu sideris compotor, dimidiam vini portionem in terram effudisset;
28. Et gratiae Adhoditicae pars superstes curam eius iterum in Bagdadum convertisset.
29. Noctu profectus est ad eum (Saidum), et Aurora ubinam? non aliter ac si interrogaret celeri incessu pulverem de ossibus illius (Aurorae) cariosis.
30. Deflexit itinere *ab omni fluvio* nisi a Kovaik, quasi putaret alium quencunque *fluvium* aucturum esse sitim suam vehementem.

31. Vectus *camelis* albis, dum tempus, quod nigrum erat, diffidit, quasi illi (cameli) in visceribus eius (temporis) generosos quaererent;

32. Agilibus, ita ut in quovis campo, quo perveniunt, ipsis etsi fatigatis usus certare possit cum struthionibus pulvereo colore praeditis.

33. Quum ibi vociferantur cameli prae amore pullorum, nec mugitus respondet, responsum reddunt de illis bubones illorum capitum.

34. Quod si ungulis conculcaret *camelus* in itinere cilia dormientis, hic e somno non suscitaretur.

35. Et secum ducens omnem equum nobilem, *qui sudabat*, ac si saliva eius flueret a lateribus supra cingula;

36. Atque iumenta alba, quae si quis ad acus foramen adduceret, profecto ob maciem et gracilitatem traducere posset.

37. Observavit (Ali) lucem Aurorae ab omni parte ortus, nec apparuit lux nisi e spuma illorum.

38. Recordati sunt *cameli* potationem ad aquas Avazim, at caeruleae cuspides hastarum a caeruleis aquis retinebant.

39. Quodsi salutem dixisset ipsis aqua salubris, non reddita fuisset ab illis salus.

40. Hanç quum adibant *cameli* crispo musco aquatico velatam, non detegebant velamina eius occultantia.

41. Quot sunt loca aquationis inter tractus littorales Syriae et Carcham, sed aqua eorum cum veneno mixta erat!

42. Quasi Eurus ibi reformidasset insidias hostis, in se irruentis ex interstitiis collium illius *regionis*.

43. Praeterivit hunc *locum* meridiei splendor invitus, ob timorem, ne pulvere illius opprimeretur.

44. Dies, ac si luna sustinuisset meridiei eius fervorem, et inde reportasset colorem aestu illius mutatum.

45. Regiones sunt, in quibus aberrant a via stellae, et prohibent tenebrae, quominus spectra earum visitatum veniant.

46. Noctes atrae lusciosam reddunt mortem; quae nisi retectae fuissent ab hominibus, non cogitasset animo unius interitum.

47. Speravit ibi nox, fore ut perduraret adolescentia sua, sed postquam inviserat hanc regionem (Ali), consenuit, antequam ad pubertatem pervenisset.

48. Defatigavit Ali equos suos et camelos, nec voluit nisi insidere tergo propositi sui;

49. Peragrans terram Okeilitarum conniventium, dum armatis, quorum stipendia e gladiis, stipatus erat;
50. Occurrit, paulo antequam pervenerat ad aquationis locum, omni cui denegata est recta agendi ratio, dum habena sermonem turpem secum ducit;
51. Cui videtur maximum infortunium, mactare camelum suum annosum, ita ut a cibo longissime absit hospes;
52. Avidissimo cuique, ut ingredi non audeant eius terram peregrinatores, neque ex ea abeant, nisi reprehensione eius onusti.
53. Quum apparet ignis noctilucae in tenebris, currit, ut ab illo ignem concipiat ligno suo igniario.
54. Tabernaculo illius in desertis collocato discedunt ex iis lacertae, metu improbitatis eius perterritae.
55. Quando confringitur os cameli iuvencae, optat, ut fractum redimat osse suo.
56. Non praebet suavis chordarum sonus auribus illius maiorem voluptatem, quam vociferatio gregis pascentis.
57. Et, o domine! ne permittas, ut transeant domum, quam talis habitat, nisi nubes steriles evacuatae.
58. Si adest pluvia copiosa, depelle eam e regione illius, si vero adest mors, mortis atrocissimae potum ei praebe.
59. Nisi Ali minimi haberet eius res, ipsa Satira eduxisset contra illum gladium vindictae suae.
60. Iste est mel, quod eiecerunt pericula propter amaritudinem, oribus eorum ad deglutiendum illud apertis.
61. Timent hostes violentiam illius, dum ipse quiescit, quemadmodum timent homines, ne attingant prunas nondum ardentes.
62. Saepe timetur gladius acutus licet in vagina reconditus, et terrorem iniicit copia aquarum licet nondum prorupta.
63. Quum ridet admiratione istius omne oppidum, illacrimant opes eius iniquitati illius et iniustitiae.
64. Conservantur eae (opes) metu ne intereant, sed quot thesauri regum sub sigillis perierunt!
65. Exprobrat illum vulgus Iracae, sed discessus solus est eius maximum vitium.
66. Et ipse *in hoc similis* aetati puerili, quam, etsi absque omni culpa invenit obtrectator, tamen vituperat, quod cessat.
67. Si potuisset *oppidum* Bagdad, profecto per montes vias, desiderio commorationis eius incensum, arboribus convolutis inaccessas ei reddidisset.

68. Quando impedire vult nubes conglomerata fulgur, discindit illam, proditque elatum ex denso nubium agmine.

69. Mihi est consilium terrarum regibus dandum, quod sequetur is, qui commodum in eo acquirendum computat;

70. Dico illud principi cuiuslibet tribus, amoveo autem, magnum id censens, ab ignobilibus:

71. „Omnem, quamvis opulentum, re vera pauperem esse, si Alii verba in thesauris reponere neglexerit."

72. Imposuisti poetis laudem eius tanquam officium, ut Abraham peregrinationem ad domicilium suum iniunxit.

73. Laudat enim illum leo rugitu suo, laudat pullus dorcadis mugitu suo.

74. Haec sit facundis norma mea et lex, et si quis mihi non obtemperat, repugnat legibus antistitis.

CARMEN ABULOLAE ALTERUM
QUO ALLOQUITUR AVUNCULUM SUUM
ALI BEN MUHAMMED
IN AFRICAM PROFICISCENTEM.

1. Tibi dicunt animae: pro te devoveo me, non sibi invicem hoc dicentes, sive sis propinquus sive remotus.
2. Nos certe, o Ali, et si hic remanemus, eodem ac tu flagrabimus desiderio et insomnia *cruciamur.*
3. Nisi *timendum esset*, ne nos excessisse modum censerent, adderemus plura verba ei, qui plura petit.
4. Dicunt quidem, illum in itineribus divitias sibi parasse, respondemus: num cor ibi acquirere potest?
5. Num propositum eius unquam debilitatum fuit et languit? nunquam a proposito deflecti potuit.
6. Si tecum proficiscuntur stellae noctis itinere nocturno dicunt: „Adiuvet Deus virum, qui longinquiora quam nos petit."
7. Si tecum cursu certant venti vehementes, defatigata iumenta eorum, et dificit viaticum.
8. Quodsi itineri tuo *omnes* noctes mensis eligere posses, tu vestibus nigerrimis vestitam *noctem* sumeres.
9. Eligis obscuras dicens, nigerrimum quemque oculorum hominis esse iucundissimum.
10. Hospites tui sunt hyaenae in desertis, quas recipis coniunctas aut sigillatim.
11. Lacrimas fundunt omnes constellationes misericordia tui permotae, earum lacrimis imples utrem.
12. Quando annunciat corvus clamore suo adventum *tuum*, tingimus comam illius croco.
13. Imbuimus colore croceo alas eius nigras, ac si essent atramento infectae.
14. Osculamur collo iumentorum tuorum, et osculis exhaurimus vaginam gladii tui et balteum.

15. Remedium petimus potum, ab equo celeri quo advenisti relictum, si sitim reformidamus.
16. Quasi sedens in illo elatus esses supra coelum gloriae, cuius columnae sunt pedes illius.
17. Si quis nostrum offerret alteri pulverem tuum, profecto hoc esset munus splendidissimum, quod offertur.
18. Est, ac si Sabicitae avibus insidentes peragrarent planities et montes.
19. Num Alexandrum regem aemulamini, nec collocatis in terra quadam pulvinar *quietis?*
20. Forsan tu, qui duro es animo, succedis illi (Alexandro), qui primus terrarum orbem obiit;
21. Super *camelis* albis, qui ceu extremitates pectinum in crispos tenebrarum cincinnos se insinuant.
22. Quacunque de causa relinquis terras orientales, ut pervenias ad occidentem, examinaturus es *statum* hominum.
23. Antea Aegyptus, quae Nilum possidet, certabat de te cum Tigri et pagis Babyloniae;
24. *Et regio*, quae a Sara ad Euphratis extremas ripas usque ad Kovaik *se extendit*, est locus eundi et redeundi.
25. Sunt aquae, in quas si proieceris argentum et simile quid, profecto haec seligendo discernuntur.
26. Si invenisti regiones, quales optat peregrinus, tamen non est amicus, ut optat.
27. Splendente Sirio Iemanensi renova Syriaco amorem;
28. Syriae enim fides habenda, alia vero *regio*, etsi sermone fidelis, perfida est, quum credis.
29. Migrasti ut acquireres fratrem integrum, et amisisti antiquum, quem acquisiveras.
30. Profectus es ad terrendos pisces, postquam terrorem inieceras feris et leonibus fulvis.
31. Saepe nox iamiam recedens timore, ne dicerent homines „fugit", redibat.
32. Obscura erat nox splendente igne Martis, et operuerat prunam solis cinere.
33. Similis es inter stellas Sirio, quum oritur seorsim et segregatus.
34. Implorasti auxilium camelorum velocium contra illud (iter), neque a te neque ab illis somnus gustatus est.
35. Putabant *cameli*, lucem Aurorae esse propinquam, nec extuderunt opinione sua ignem ex ignitabulo.
36. Non luxit illis Aurora, sed conspiciebant ardorem ignis propositi tui.

37. Peragrasti maria et terras, donec consumseras naves et equos veloces.

38. Nec reliquisti navi velum, nec equo veloci stratum.

39. *Modo versabaris* in terra, quam non irrigat pluvia, quaque scenitae non pascunt oves;

40. Modo in alia, qua Graeci sunt Arabes, etsi non vehuntur equis.

41. Similes utique habebis naves eius domibus hirsutis forma et nigredine;

42. Celeriter currunt domus illorum, quum aggredi hostem aut repellere contendunt;

43. Venationem instituunt navigantes in omnes tractus, sed venantis finis est, ut venando capiatur.

44. Parum abfuit, quin oculi Graecorum colore ac re fuissent cuspides hastarum illorum acutae.

45. Tu vero subsiste inter propinquos, et omnis tribus sive vesperi sive mane victum accipiet.

46. Non adaugebitur commeatus avari, etsi ad augendum illum veheretur ventis procellosis.

47. Quomodo appetere potes in itinere divitias recentes, quum digiti tui iam donarunt comparatas?

48. Non desinit homo possidere opes paratas, qui animum sua sorte laetum posuit sibi tanquam apparatum.

49. Quodsi nubes prudenter aquam profunderent, non irrigarent cum palma carduum.

50. Et si largirentur secundum altitudinem, pluviam dimitterent in montes, arcerent autem a planitie.

51. Tu semper intelligentiam secutus est, et procul absit a virtute tua, ut rectam viam ei monstrem.

52. Te decet satisfacere amicorum voluntati, nam pessimis equorum refractarius est annumerandus.

53. Saepius nimium laborem ad rem aliquam consequendam impendenti dicunt amici: noli excedere modum.

54. Saepe is, qui spe rei cuiusdam tenetur, eiusque terminum iam conspicit, eam relinquere cogitur, postquam ad illam prope pervenerat.

55. Mittimus tibi admonitionem his versibus, tu autem de recto et iusto non es admonendus;

56. Quam si acceperis, est, quod ament multi, si vero recusaris, nos saltem non defuimus labori.

ANNOTATIONES

AD MOALLACAM HARETHI ET SCHOLIA ZUZENII.

Vers. 1. Poeta patrio more auspicatur carmen commemorans amicam sibi dilectissimam, cuius discessu post longam et intimam familiaritatem magno dolore se affectum dicit. De tali exordio, quod نسيب vocatur, pluribus disputarunt Reisk. ad Tar. p. 40. seqq. et 131. et Iones in poes. As. comm. p. 69. fin. et 296. seqq.; cf. etiam Willmet ad Antar. p. 117. seqq. Hengstenberg ad Amrulkeis. p. 25. et Bohlen de Mot. p. 42. et 46. seqq. Quae fuerit haec amica Asma non constat; Reiskio quidem illa uxor regis Amrui visa est, sed fraudem illi fecit, ut iam Knachtbull. annotavit, Tebrizii codex corruptissimus, in quo post vocem فلما aliquid deesse videtur; vid. Reisk. prol. ad Tar. p. 37. l. 9. et p. 38. l. 14. Post hunc versum alium habet cod. 1455, quem hic apponam:

آذنتنا ببينها ثم ولت ليت شعرى متى يكون اللقاء

Indicavit nobis discessum suum, tum abiit, utinam noverim, quando futurus sit occursus.

Pro spurio hunc versum habendum esse censeo, deest enim apud Ion. et in codd. Par. 1416. et 1417., neque Zuzenius, qui scholia in hoc carmen exhibet praestantissima, mentionem illius fecit. Me quidem iudice hic versus a quodam insertus esse videtur, qui coniunctionem primi versus cum secundo edit. nostrae desiderans hoc insiticio medicinam afferre voluit; addit enim Asmam abiisse, postquam dicessum indicaverat, dein connectit hunc versum eo, quod poetam desiderio amatam suam adeundi affectum inducit, cum sequentibus, ubi locorum mentio fit, in quibus poeta amicam antea offenderat. Ceterum in carminibus Arabicis antiquis vix monendum est, libros mssc. non modo varietate lectionis, sed

etiam numero et ordine versuum valde inter se discrepare. Cuius rei causa sine dubio haec est, quod carmina antiquissimis temporibus non erant litteris consignata et quasi stabilita, sed per longum tempus voce viva recitata memoria ab audientibus excipiebantur. Vid. de Sacy in Not. et Extr. t. IV. p. 311. Quod quum ita esset, non potuit fieri, quin proxima iam aetate ordo versuum permutationem subiret, plures versus memoriae lapsu omitterentur, alii, ut cuiusque vel memoria suggereret vel ferret iudicium, aliunde intruderentur. Haec praesertim de carmine nostro valent, ut infra videbimus.

V. 2. Ion. et cod. 1455. لها Kn. شماء contra regulas Gramm., nomina enim terminata Hamza praecedente ا cum Medda sunt diptota vid. Sacy. Gr. t. I. p. 296. Ion. الخلطاء sine dubio mendum scripturae, nam صا facile accipi potest pro ط. Poeta repentino puellae discessu intime commotus memoria repetit tot loca, in quibus sese invicem offenderant atque amoris delicias gustaverant. Zuzenius haec loca non definivit; Firuzabad. in Camuso dicit شماء جبل معروف والخلصاء موضع. بالدهناء Eodem modo vocem الخلصاء explicat auctor libri Bodleiani: كتاب مراصد الاطلاع على اسما الامكنة والبقاع, quem Uri refert num. CMIX. et Kn. inspexit, dicens: خلصا بالفتح ثم بالسكون بلد بالدهنا معروف وقيل ارض بالبادية فيها عين

V. 3. Ion. فالمحيّاة et pro فاعناق idem et cod. 1455. in textu فاغلى ذى in margine فادنى ذى. Bold. فطاق. Cod. S. فَتاق sed legendum esse videtur فِتاق cum Ion. Kn. Camuso et libro Bodl. Locorum, quae hic commemorantur, Firuzab. explicavit haec صفاح جبل تتاخم نعمان اعناق الجبال الفِتاق جبل والخميرة الكبيرة تعاجل ادراك العجين الوفا موضع Liber Bodl.: صفاح بالكسر واخره حا مهملة موضع بين حنين والصباب الحرم على بسرة الداخل الى مكة من مساس فتاق بالكسر واخره قشاف موضع فى شعر (hic aliquid deesse videtur) عادب بالدال المكسورة والبا الموحدة اسم واد او جبل قريب من رهنا فى شعر جرير او غيره وفا بالمد موضع فى شعر الحارث بن حلزة

V. 4. Ion. الخطا Bold. الخثا male. In schol. deest بها apud Kn. false, quia عهد *offendit*, cum ب loci construitur. Quae hic occurrunt nomina locorum sic explicat Firuzab.: وروض القطا موضع شريب بلد بين مكة والبحرين وجبل نجدى. وشريب وشربب وشربوب وشربة بضمهن مواضع الشعبتان اكمة ولا تكن اشعب فتتعب هو طماع معروف وبين شعبها الاربع هى يداها ورجلاها او رجلاها وشغرا فرجها كنى بذلك عن تغييب الحشفة فى فرجها ايلة جبل بين مكة والمدينة قرب ينبع وموضع بين ينبع ومصر, وعقبتها معروف Auctor libri Bodl. الشريب sic exponit: شريب بالتصغير بلد بين مكة والبحرين Abulabbas. in schol. ad h. l. dicit شعبتان اكمة لها قرنان نابتان.

V. 5. In hoc versu pro بها quod codd. S. et 1417. habent, scripsi فيها cum codd. 1416. 1455. Ion. et Kn. nec aliter legi potest ratione metri. Hanc lectionem

confirmare videtur Zuz. in schol. Bold. فابكى male. Ion. وما يرد cod. 1455. in textu وهل يرد, sed وهل in margine correctum est per وما, et vox يرد videtur ex schol. irrepsisse in textum, quum usitatior est quam يحير. Cod. 1417. يحير vitiose. Kn. false vertit *per totum diem.* cf. Sacy Gr. t. II. p. 59. n. 107. — Iam poeta commemoratis locis in quibus amatam offenderat, queritur, se nunquam visurum esse Asmam, ideoque lacrimis fundendis dies suos consumere debere, etsi fletum sibi nihil prodesse ipse profitetur. Similiter de discessu amicae suae queritur Amrulkeis. Moal. v. 4. ibique Hengstenb. cf. Bohlen l. l. p. 59. Sententia وما يحير البكاء pertinet ad id genus interrogationum, quas Arabes sensu negationis accipiendas esse dicunt. Saepissime illae occurrunt apud poetas cf. v. 21. 53. Abulolae carm. I. v. 17. al. — Vox دَكّه est forma poetica pro دَكّه ut بَلْغ pro بالغ v. 44.; saepissime enim poetae syllabas binas in unam contrahunt, cf. Bohlen l.l. p. 109., 3.

V. 6. Kn. عند omissa nunnatione, quae hic nequaquam abesse potest propter metrum. Ion. et cod. 1455. اصيلا *vesperi,* sed nostra lectio praeferenda videtur, quum vox اصيلا non multum faciat ad sensum explicandum, vox vero اخيرا eo sensu, quo eam accipiendam esse putavi, causam ignis in loco alto accensi indicet. Vox علياء poetis solummodo, ut videtur, usitata, quum adiectivum loco substantivi positum sit, non comparet in lex. Gol. et Cast.; Zuz. explicat illam per بقعة عالية pars terrae eminens; occurrit etiam infra in Abulolae carm. I. v. 6., ubi schol. dicit العلياء الشرف. In Camuso haec leguntur العلياء السماء وراس الجبل والمكان العالى وكل ما علا من شيء والفعلة العالية. In Hamasa Cl. Freytagii *) p. 16. circa finem exstat locus, in quo vox العلياء tanquam nom. prop. occurrere videtur; haec enim confirmare possunt verba مكان مرتفع quae explicationis causa addita sunt; cf. etiam Har. Moal. v. 42. ubi العلياء est nomen loci; sed quum lex. geograph. Arabum inspicere mihi non licet, hoc pro certo affirmari haud potest.

Poeta locum excelsum, in quo ignis accensus erat, ut personam describit, quae igne signa dat virginis praesentiae et conspicienti quasi annuit. Talis ignis نار القرى *ignis hospitii* vocatur, deque eo maxime inter se gloriabantur Arabes. cf. Rasmussen Addit. ad hist. Ar. p. 76. et Harir. ess. IV. p. 49. et 50. ed. Schult.

*) Celeberrimum totius Hamasae corpus cum scholiis Tebrizii praestantissimis divulgare nuper aggressus est Cl. Freytagius. Prodiit iam exeunte mense Iulio textus Arabici pars prima, quem ceterae quinque partes mox subsequentur. Textum Arab. excipient indices perfecti et Hamasae carminum versio latina et commentarius perpetuus. Utinam favente Deo egregium hoc opus mox lucem aspiciat!

ibique schol. Teblebii. Ignis, qui in montibus alitur, multa exstant documenta in Hamasa et alibi. Sic Reisk. (ad Tar. p. 95.), simulque attulit versus aliquot Abulolae, quos vide. Ceterum cum versu nostro conferendus est versus simillimus poetae cuiusdam a Nuweirio citatus apud Rasmussen l. l. p. 75.: Metr. Madid

يا سليمى اوقدى النارا ان من تهوين قد زارا

O Solma! accende ignem, certe is quem desideras, salutandi causa adiit.

Fere idem versus laudatur a Kn. ad h. l. ex Abulfed. ann. t. I. p. 380., in quo tantum pro سليمى et زارا legitur لبينى et جارا. Causam huius similitudinis investigare difficillimum est, quia de auctore versuum nil constat. Duplici autem modo haec explicari potest; nam aut dicendum est, illos esse unum eundemque versum, varietate tantum lectionis inter se discrepantes, aut ponendum, quendam poetarum furtum commisisse, nam Arabibus poetis, ut Reisk. (ad Tar. p. 47.) bene animadvertit, non ita indecorum aut infrequens est, alienis verbis sua carmina ornare.

V. 7. Loco بحزازى, quod omnes codd. Par. habent, in textum recepi بخزازى cum Ion., qui autem legit بخزاز, cod. Zuzenii Bodleiano et Abulabbaso, cuius schol. ad Kn. ad h. l. allatum hoc est: خزازى اسم موضع ويروى خزاز وخزوزى Desideratur etiam vocabul. خزازى in lexicis et in Camuso sequentibus verbis hic locus describitur: وخزازى كحبالى وكسحاب جبل كانوا يوقدون عليه غداة الغارة In schol. omisit Kn. بعينها. Hic versus legitur apud Ion. et in cod. 1455. inverso ordine, ut sequens huic antecedat. — De voce هيهات, quae est aversantis et depellentis vid. Sacy Gr. t. I. p. 388. Sensus est poetam conspecto igne Hindae summo quidem desiderio novam amicam adeundi flagrare, sed retinere ipsum belli calamitates aliaque negotia.

V. 8. Nomen loci العقيق sic explicat auctor Camusi: العقيق الوادى جمع اعقة وكل مسيل شقه ماء السيل وموضع بالمدينة وباليمامة وبالطايف وبتهامة وبنجد وستة مواضع اخر Vocabulum شخصين deest in Camuso. Ante كما يلوح est ellipsis verbi لاحت. Haud infrequens est talis omissio praesertim poetis, quum ex eo quod sequitur deficiens suppleri possit. cf. Sacy Gr. t. II. p. 353.

V. 9. Kn. استعين contra regulas Gramm. In cod. 1417. deest على contra metrum, et pro خف male positum est خفت. In schol. pro السير Kn. المسير et pro فظاعة الخوف habet فظاظة الحرب quod paene eodem redit. — Praepositionem ب vocis بالثوى Zuz. للتعدية i. e. ad impertiendam (verbo) significationem transitivam, positam esse dicit. Hanc constructionem, tam in Arabica quam Hebraica lingua valde usitatam, admittunt verba, quae significant *ire, abire, venire* alia id genus vid. Sacy. Gr. t. I. p. 355. et Gesenius Lehrgeb. p. 815. Sermonibus amatoriis

missis ad verum propositum iam propius accedit poeta, dicens: sibi opem quaerendam esse ad pellendam aegritudinem, quum accelerent devertentes ob causae gravitatem et timorem insolitum.

V. 10. Cod. 1416. بزفيف quod, quia schol. hac voce incipit, inde in textum irrepsisse videtur. Ion. كانها et ita semper ubi scribendum أنّ habet إنّ vid. Sacy Gr. t. I. 396. not. In schol. cod. 1416. همى vitiose. cod. 1417. منجنية. Itineris mentione in versu antecedente facta transit ad describendas cameli, qua vectus iter facit, virtutes, inter quas velocitatem et vigilantiam maxime praedicat. Itaque comparat illam more apud suos frequentissimo (cf. Taraph. M. v. 36. ibique Reisk. Antar. M. v. 24. p. 158. seqq. ed. Willmet. Lebid. M. v. 67. ed. de Sacy al.) cum struthione femina, quam omnium animalium esse celerrimam veteres et novi scriptores unanimi consensu tradunt. vid. Bocharti Hieroz. p. II. l. II. c. XVI. p. 245. et c. XVII. p. 261. seqq. ed. Lond. 1663. — Vocabulum زفوف secundum Zuz. est forma intensiva adiectivi زاف a زف *properanter movit se* struthio, quocum consentit auctor Camusi. Lexica illam non exhibent et ipse Cl. de Sacy, ubi de forma intensiva فعّال adiectivi فاعل agit, omisit. vid. Gr. t. I. p. 232 et 236. Praeterea animadvertendum est, in hoc versu praedicatum زفوف positum esse loco illius, cuius illud est, scil. ناقة *cameli*, quod supplendum esse non modo verbum زفوف et pron. affixum ها sed etiam ipse contextus indicat. Eiusmodi ellipses, quae facile cognosci possunt, saepissime in Arabum carminibus occurrunt vid. Sacy Gr. t. II. p. 347. seqq. Optime de hac re disserit Reisk. ad Tar. v. 39. p. 86.: „saepissime poetae, inquit, rem quam designant, non nominant لعلم السامع بها (sic loquuntur grammatici) propterea quod qui vel legat vel audiat ex epithetorum qualitate et sermonis filo facile possit sensum assequi."

V. 11. Bold. نبات male. In schol. pro يتخيله Kn. تخيله; pro العشى id. النقسى vitiose; pro صيادين id. صايدين et pro فان id. فاء quod hic nequaquam admitti potest. — Vox قناص est pluralis fractus a قانص secundum formam فعّال quae fit a solis masculinis adiectivorum verbalium scil. a فاعل vid. Sacy Gr. t. I. p. 265. Pergit in describenda struthionis, cum qua camelum comparat, velocitate eximia simulque vigilantiam eius laudibus extollit. Sensus est, struthionem percepto venatorum sono occulto celerrime ad pullos suos redire, dum imminens vespera celeritatem eius insuper augeret. De cautione struthionis exstat proverbium apud Meidan. iam a Kn. ad h. l. allegatum, quod, quum versui nostro lucem affundat, hic apponam: احذر من ظليم „cautior struthione" quae ovis insidens venatores odore percipit ad spatium iactus sagittae, atque in tempore sibi cavet. Ad haec annota-

vit Schult., vocem ظليم proprie quidem de struthione mare usurpatam, subinde etiam feminam uti hoc loco designare vid. Meidan. prov. ed. Schult. p. 165. — Similiter comparat Tarapha (v. 34. et 35.) aurium acumen cameli cum vacca silvestri, quae tam penetrantis dicitur esse auditus, ut adventantis e longinquo venatoris sentire gressus queat. Recte Reisk. ad h. l.: „Utramque paginam faciunt hae ferae et similes in poesi Arabum, ut supra iam dictum. Taedet sane prae copia exempla describere."

V. 12. In schol. pro من Kn. مع quod minus placet. — Semet ipsum alloquens poeta, ut celerrimum cameli suae incessum exprimat, levissime terram illam attingere dicit, ita ut tenerrimus pulvis oriatur. Multi sunt poetae in laudando levi camelorum incessu; hic Abulolae tantum versum eumque insignem apposuisse sufficiat:

Quodsi ungulis conculcaret *camelus* in itinere cilia dormientis, hic e somno non suscitaretur!

Vid. infra Abulolae carm. I. 34. — Verbis رجع et وقع totus cameli incessus designatur, scilicet qui fit pedibus tollendis terramque percutiendis; praeterea vox رجع praesertim de motu pedum anteriorum usurpatur vid. Caab ben Zoh. v. 28. schol. ed. Cl. Freytagii. Vocabulum منين in schol. per غبار رقيق *pulverem tenuem* explicatur, lexica autem simplicem tantum pulveris notionem exhibent. Firuzab.: المنين الغبار والحبل الضعيف والرجل الضعيف والقوى ضد

V. 13. Cod. 1416. خلقهن vitiose. Pro الوت Ion. تلوى cod. 1455. in textu اودت in margine تلوى. — Animadvertendum vocem طراق in hoc versu pro plurali habendam, quamvis in lexicis singularis ea dicatur. Postremum continet hic versus celeritatis cameli documentum, scilicet quod celeri illius et assiduo per desertum itinere operimenta calceorum attrita decidissent. Quae hic commemorantur operimenta calceorum spectant ad morem Arabibus campestribus usitatum, camelorum ungulis coria subligandi, ne difficillimis per deserta itineribus conterantur. Pluribus de hoc more schol. ad Caab ben Zoh. v. 27.: اعلم ان العرب كانوا يشدون تحت نعال جمال السريع وهو قطعة من جلود ليقيها الحجارة cf. etiam Lebidi M. v. 23. ibique Zuzenius.

V. 14. Bold اتلها. Cod. 1455. in textu اتلقا, sed margini adscripta est nostra lectio. Pro هم Ion. انثى. Praeterea Kn. et Ion. vocem ابن in nominativo posuerunt, quod praecedente كل nequaquam fieri potest. vid. Sacy Gr. t. II. p. 41. In schol. pro بها Kn. فيها et pro همة cod. 1417. امر عظيم. Kn. همه vitiose. — De significatione et usu vocis هم docte disserit Reiskius ad Tar. p. 55. seqq.: „Phrasis illa امضى الهم *abigo curam* poetis est admodum familiaris, nec facile carmen inveni-

tur, in quo non occurrat. Dabo itaque operam ut, quid sibi velit illa, pateat. Vario scilicet aspectu aiunt, se deserta camelis suis peragrare et solicitudinem animo expellere, vel quando amicos absentes insequuntur, vel victum sibi mercatura aut venatione quaerunt, aut potentium effugiunt oppressionem." Tum ad singula haec dilucidanda more suo affert locos quam plurimos ex ipsis poetis Arabum et scholiastis doctissimis. Patet igitur ex hisce Reiskii verbis poetam nostrum voce ابن هم designare illos, qui ex causis modo allatis deserta cum camelis suis peragrant. Ad intelligendum hunc versum iuvat ritum, quem poeta voce بلية attingit, cognoscere. Nempe illi Arabum veterum, qui resurrectionem credebant, camelum revincto collo appensoque strato ad domini defuncti sepulcrum ligatam relinquere solebant, donec fame moreretur, existimantes illum tempore iudicii equitaturum; at, qui hoc fieri non curaverit, peditem futurum. Talem camelum vocabant بلية vid. Pocockii spec. hist. Ar. p. 5. et 139. ed. White et Rasmuss. Addit p. ٩٩. qui in excerptis e Nuweirio haec habet: كانوا اذا مات الرجل يشدون ناقته الى قبره ويعكسون راسها الى ذنبها ويغطون راسها بزلية وهى البردعة فان افلتت لم تترد عن ماء ولا مرعى ويزعمون انهم انما يفعلون ذلك ليركبها صاحبها فى المعاد فيحشر عليها فلا يحتاج ان يمشى Zuzen. nil de hac re protulit, fortasse quia iam antea hunc ritum exposuerat. vid. Lebidi M. v. 76. ibique Zuzenium. Sensus igitur hic esse videtur, poetam camelo ipsa meridie se oblectare, quum omnes, qui curis premerentur, impotentia et virium consumtione similes essent camelo supra descriptae. Quodsi Kn. hunc morem antiquum respexisset, in sensu huius versus indicando non errasset, quem ita exponit: „oblecto me camela mea fervente aestu, quum *fortissimus instar camelae itineribus longis confectae* procedere nequit."

V. 15. Pro من الحوادث cod. 1455. عن الاراقم. Ion. et cod. 1455. انباء وخطب. Pro به cod. 1417. له. In schol. pro vulgari lectione ومساءته in textum recepi ومسايئة cum Firuzab. et Dscheuhario, secundum quos haec nominis actionis forma posita est pro مساوية. — Hactenus quasi prooemium totius carminis. Nunc aggreditur poeta rem ipsam, quam tractare sibi proposuerat, scilicet crimina a Taglebitis contra Becritas allata diluere, atque sibi et tribui suae innocentiam recuperare. Egregie Harethum nostrum tribum suam defendentem inducit Kn.: „Hoc versu incipit Hareth defendere tribum suam coram rege Amru, persuasurus, nihil eorum, quae suis in culpam imputata essent, solido niti fundamento, sed omnia proficisci ex odio et rumoribus invidorum."

V. 16. Bold. اتا. Cod. 1417. اخوالنا. Cod 1455. يعلون et cod. 1417. اخفاء. Cohaeret hic versus notante Zuz. ita cum praecedente, ut exponat, quaenam sint illa mala, quibus Becritae affligantur; quare pro vulgari lectione إِنَّ maluerim أَنَّ,

coniunctio enim ista inservit connectendis propositionibus, illa autem incipiendis, ac saepissime est mere expletiva, vid. Sacy Gr. t. I. p. 401. Familia الاراقم est tribus a Taglebo oriunda; causam huiusce nominis affert Zuz. hanc, feminam quandam comparasse oculos maiorum suorum cum oculis الارقم, quod secundum Dscheuhar. significat: الحية التى فيها سواد وبياض i. e. serpentem variegatum nigro et albo. Cf. de familia Arakem Mobarred in libro Kamel apud Reisk. prol. ad Tar. p. 41. et Eichhorn. ant. mon. hist. Ar. p. 126. Taglebitae in hoc versu fratres Becritarum dicuntur, quia ex eodem patre Wayel ben Kaset orti erant Tagleb et Becr auctores tribuum mutuo se infestantium cf. Pocock. spec. p. 47. et Eichhorn l.l. p. 124. tab. IX. De voce احفاء auctor Camusi haec: احفى السوال ردده وزيدا الح عليه وبرح به فى الالحاح.

V. 17. In schol. cod. S. بُرَآآنا Kn. براانا, sed scribendum est بُرَآءنا vel بُرَآءنا.

V. 18. Cod. 1417. الغيم vitiose. Kn. et Ion. موال false, quia pluralis fractus formae فَعْلَى est فعال aut فَعال. vid. Sacy Gr. t. I. p. 269. et 270. Apud Kn. deest لنا contra metrum. In schol. Kn. يلحقنا. Pro العرب cod. 1417. العقرب vitiose. Pro نمط Kn. لبط male. Hunc versum omittit cod. 1455. — Veram notionem verbi زعم docte explicat Tebrizius ad Hamasam. p. I. pag. 98. ed. Cl. Freytagii, quam, quum hoc verbum saepissime in litteris Arabicis occurrat, hic adscribere placuit: اكثر ما يستعمل الزعم فيما كان باطلا او فيه ارتياب ولذلك قالوا تزعم اى تكذب وزعم فى غير مزعم اى طمع فى غير مطمع Difficillimum esse verum huius versus sensum eruere, iam patet e diversis, quas refert Zuz. vocis عير significationibus. Dscheuhar. quem Kn. inspexit, exhibet s. v. عير versum nostrum additis verbis hisce: قال ابو عمرو بن العلا ذهب من كان يعرف معنى هذا البيت i. e. Aevo Amrui (natus est Meccae a. Heg. 70.) neminem superstitem fuisse, qui sensum illius tenuisset; quare Kn. recte quidem dicit: profecto turpe nequaquam posse videri in nostri aevi homine, si anceps haereat atque incertus. Sed quum homines a natura ita sint dispositi, ut in ipsis tenebris lucem invenire studeant, nos pro virium modulo mentem poetae assequi conatos esse, neminem facile offendet. Placuit nempe inter diversas Zuzenii interpretationes illam, quam primo loco posuit, ceteris anteferre et pro ea habere, quam poetam intendisse verisimile est. Multae sunt rationes, quibus haec sententia mea nititur: primum, quum carmen nostrum maximam partem in efferendis rebus gestis Becritarum versetur, eorumque innocentiam ante oculos ponat, optimum esse videtur, si etiam in explicanda voce عير, quae idem valet ac سيد *dominus*, historiam respicimus, verbaque من ضرب العير duce Zuz. de caede Coleibi principis Taglebitae intelligimus. Dein poeta commode hanc caedem attingere poterat, quia ansam praebuerat bello pestifero Basus inter Taglebitas et Becritas coorto, quod Harethi

aetate vix conquieverat. Postremo duo qui sequuntur versus sententiam nostram confirmare videntur, describunt enim, ut opinor, ipsum bellum diuturnum, quod per quadraginta annos utramque tribum attriverat. Sensus igitur hic esse videtur: perhibent Taglebitae, illos, qui caedem Coleibi comprobassent, consanguineos nostros fuisse, eorumque culpam nobis inhaerere, quum auxilio nostro fruiti essent. Vult ergo poeta, quum dicat, in totam tribum non conferendum esse, quod unus commiserit, gravem istam criminationem repellere, quae Becritis causam belli Basus imputabat. — Sed haec sufficiant de sensu huius versus; alius alio modo illum interpretetur. Kn. formulam, quam Golius ex Dscheuhario tradidit: ما ادرى اى من ضرب العير هو i. e. *nescio quid hominis sit vel qui homines*, respiciens, versum nostrum hunc sensum habere putat: perhibent, quoscunque haud ullius notae nominisque nobis opem ferre mutuumque a nobis recipere h. e. mutuas nobiscum partes agere. Ion. quem Hartmann sequitur, ita vertit: *They have insisted, that all, who pitch their tents in the desert, are our associates, and that we are involved in their offences.* — Similiter hunc versum intellexit de Sacy in Mémoires etc. t. L. p. 391. — De significatione vocis موال docte disserit Reisk. in annot. ad Syr. Abulfed. p. 196. et maxime in annot. ad Abulfed. Annal. t. I. p. 11: ubi inter alia haec dicit: „Hinc nata distinctio موالي الولادة Maula nativitatis et موالي اليمين Maula dextrae et iuramenti. Ad illos pertinent pater et liberi totaeque familiae et tribus; ad hos servi, patroni, liberti, adoptati, confoederati, princeps et subditi. Audi etiam Tebrizium in Ham. Cl. Freytagii p. 19. fin. qui haec dicit: والمولى على وجوه هو العبد والسيد وابن العم والصهر والجار والحليف والولي والاولى بالشى. Significatio, quam Reisk. primo loco posuit, tenenda est, si sensus, quem nos proposuimus, accipitur. Verba وانا الولاء per ellipsin مضاف sive antecedentis posita dicit Zuz. pro وانا اصحاب ولايهم quod sapissime occurrit. vid. Sacy Gr. t. II. p. 125.

V. 19. Kn. عَشْأً vitiose. cod. 1455. et Ion. بلَيْلٍ. Kn. ضُوضاء. — Dicit poeta Taglebitas, postquam in eo convenissent, ut tribum nostram aggrederentur, postero mane statim ipsum bellum, puto Basus, omni apparatu instructos incepisse. Verba اجمعوا امرهم Zuz. per اطبقوا على امرهم explicat, Kn. autem, qui nititur loco in vita Timuri, quem vitiose citavit, امر de copiis dictum videtur, ut in Arabsiadae vita Timuri ed. Manger t. II. p. 574. quare vertit: *collectis copiis* etc.; item Ion. et Hartmann; sed quum Zuz. explicatio bonum et commodum sensum praebeat, non video cur aliam desideremus. Nostram versionem probat etiam de Sacy in Mémoir. etc. t. L. p. 391., qui sic vertit: „*Ils ont pris, au coucher de soleil, l'iniuste résolution de nous attaquer* etc."

V. 20. Pro مجيب ومن Kn. ومجيب repugnante metro. Cod. 1455. in textu محب in margine مجيب. Idem in textu غرا in margine غراء. Pro تصْهال Kn. تَصْهال quod notante Zuz. est مصدر sive nomen actionis, sed inusitatius et significatione intensiva. v. Sacy Gr. t. I. p. 199.; illud autem est اسم sive nomen. Utraque forma, quae idem valet ac صهيل *hinnitus* apud Gol. Cast. et Firuzab. desideratur.

V. 21. Ion. المنطق. Pro المرقش cod. 1417. المبلغ secutus fortasse Zuz., qui nostram lectionem ne verbo quidem attigit. Sane lectio المبلغ عنا nil difficultatis habet, sed dictio المرقش est magis poetica et difficilior, eamque ob causam alteri merito praeferenda. Bold. عمهوء male, et ita semper ubi haec vox occurrit. In schol. loco ultimae vocis بحث, quam cod. S. habet, in textum recepi بحث cum Kn.; illam omittit cod. 1417. consentiente de Sacy (Iournal des Savans Decembre 1820. p. 712.) qui etiam eius loco بهت aut بحقنا legendum suadet. Sed re diligenter perpensa vox بحث otiosa esse videtur, et fortasse hic ex praecedentibus, in quibus vox بحث occurrit, scribae vitio repetita est. — Increpat poeta ipsum delatorem, qui coram iudice Amru ben Hend oratione comta Becritas obiurgarat, eumque nonnisi falsa et ficta protulisse dicit, quibus gloria Becritarum neque infringeretur neque minueretur. Intendit sine dubio Amru ben Kelthum sextae Moallacae auctorem, contra quam Harethum suam composuisse in prolegom. demonstravi. vid. Amrui Moal. v. 23. seqq. ibique Kosegart. — Verbum رقش proprie significat *ornare*, in secunda forma زين القول *ornate dicere*, sive color orationis verus sit, sive ad commendandas res falsas adhibitus, unde etiam de ipsa oratione, quae mendaciis exornata est, usurpatur. vid. schol. ad Harir. css. V. p. 49. et css. XXII. p. 225. ed. de Sacyan. ubi haec leguntur: ورقش كلامه زوره وزخرفه

V. 22. Cod. 1455. تخلنا. Kn. غَراتك. Cod. 1416. et S. غراتك male ut ex schol. patet. Cod. 1455. et Ion. غرتك. In schol. emendavi vulgarem lectionem لمر يقدح في امرنا كما لا يقدح ut in codice de Sacyano ad marginem adscriptum erat; sed et textus lectio defendi posse videtur, quamvis correctio meliorem praebet sensum. — Omissum est in hoc versu مفعول ثان verbi تخلنا, ut grammatici loquuntur (cf. Sacy Gr. t. II. p. 96.); Zuz. متخاشعين vel simile quid supplendum esse dicit. De eiusmodi ellipsi, quam Cl. de Sacy duram vocat, quia ipse contextus vix indicat, quod desideratur, cf. eius Gr. t. II. p. 125. Vox غراة, quae etiam in Camuso deest, perraro esse videtur; quare codices de illa inter se dissentire et frequentiorem formam غراء in textum recepisse vidimus. Zuzen. illam inter nomina refert, idemque significare dicit ac الغراء. — Patet ex hoc versu et sequentibus,

Becritas inde ab antiquissimis temporibus ab aliis tribubus hostiliter vexatos, auctoritatem suam contra hostium impetum semper tenuisse.

V. 23. Ion. الشناة. Idem et cod. 1455. جدود; eandem lectionem habet cod. Schultensii, qui posterius hemist. in not. ad Harir. css. I. p. 22. allegavit, sed male vertit: *Genus referimus ad Fortunam et Gloriam gibbosam.* Ion. quem Hartmann sequitur, interpretatur جدود per *laudable selfsufficiency*; sed si retineatur haec lectio, potius per *avos* aut *maiores* vertenda est, quum sit pluralis a جد *avus.* Ion. غرة male. — Verba عزة قعساء bene illustravit Schult. ibidem.

V. 24. Ion. et Kn. اليوم. Ion. تعيّط. Cod. 1455. in textu تغيّظ in margine تعيّط. In schol. pro vulgari lectione وفي قوله in textum recepi وما في قوله cum cod. 1417. quia grammatici voces quas explicant praemittere solent. Kn. التحقيق. Particulum ما et praepositionem ب vocis بعيون redundare dicit Zuzenius. cf. Sacy Gr. t. II. p. 362. 371. et t. I. p. 356. Verbum بيض secundum Zuzen. idem significat ac اعمى *obcaecare*, cuius loco hic positum est. Lexica Gol. Cast. et Firuzab. hanc significationem non exhibent. Describit poeta Becritas ob potentiam summopere in odium vocatos: Gloriam Becritarum iam dudum invidiam hominum commovisse, ut, quum illam infringere tentassent, propter nimiam iram et invidiam oculos quasi perdidissent.

V. 25. Ion. وكانًا. Bold وكانَ. Ion. جُون. Cod. 1455. جونا. Idem in textu عنها in marg. عنه. Cod. 1417. الغماء. In schol. cod. 1416. يرميه sed legendum يرميه. — Vocabulum ارعن est adiect. secundum formam افعل a grammaticis صفة مشبهة dictum, i. e. *qualificatif assimilé* ut de Sacyi verbis utar, quia qualitati alicuius rei exprimendae inservit et in formando genere et numero cum nomine agenti convenit. cf. Sacy Gr. t. I. p. 231.; Zuzenius hoc vocabulum *montem* significare dicit, *cuius vertex prominentior est*; nam رعن secundum Firuzab. est انف يتقدم الجبل. Lexica hanc notionem non exhibent. — Eleganter comparat poeta eximiam fortitudinem Becritarum cum monte alto ac praerupto, adversus quem nil valeant tempestates aliaque infortunia. Similis nostro locus exstat in Hamasa Cl. Freytagii p. 51., ubi جبل per عز et منعة explicatur.

V. 26. Kn. مكفهرا. Cod. 1417. ترثوه. Ion. ما ترثوه. Cod. 1455. pro لا in margine habet ما, sed praeferendum لا quia proprie est نفي استقبال sive adverbium negativum futuri, illud autem نفي حال sive adverbium negativum praesentis. vid. Sacy. Gr. t. I. p. 379. In schol. pro مشتقة Kn. vitiose مشققة. — In explicanda voce مكفهر parcior est Zuzenius; nos illam per *durum et munitum* vertimus duce Firuzabad., cuius verba in Camuso haec sunt: المكفهر كمطمئن السحاب الغليظ الاسود

وكل متراكب ومن الوجوه القليل اللحم الغليظ الذى لا يستحيى او الضارب لونه الى الغبرة مع عاظ والمتعبس ومن الجبال الصلب المنيع cf. etiam schol. ad Haririi css. XXV. p. 254.

V. 27. Pro النخيل Ion. et cod. 1455. النجن et pro وتابى legunt فابت contra metrum. Ion. et Kn. الأجلاء. — In schol. cod. S. habet عوص; sed in textum recepi عوص cum Kn. et Abulfeda in Pocock. spec. p. 463. Pro تابى Kn. تاتى vitiose. Pro الاوطان, quod cod. S. habet, scripsi اوطانه cum Kn. et cod. 1416., qui tamen falso hanc vocem cum articulo insignivit. Hic versus cum sequente legitur multo inferius in cod. 1455. et apud Ion., sed inverso ordine. vid. Tabul. nostram synopticam. Vox الاجلاء in nominativo posita est ob rhythmum finalem, sensus autem postulat accusativum; talia saepius apud poetas. Alloquitur ipsum iudicem Amru ben Hend, dicens talem virum, ab Aditis stirpe Arabum antiquissima et generosa oriundum, dignum esse, qui ab equitibus strenue pugnantibus defendatur. Aditae, qui sunt posteri Adi filii Ausi filii Arami filii Semi filii Noae, pertinent ad id genus Arabum, quod antiquitus periisse traditur. Narratur illos post confusionem linguarum sedem sibi in regione Hadramautica fixisse; quum autem eorum posteri falso cultui se addixissent, misisse ad eos Deum prophetam Houd*), qui Aditas ad verum cultum perduceret. Aspernantes autem illos monita prophetae Deum insolito modo paucis exceptis e medio sustulisse. Sed historia Aditarum ob paucitatem monumentorum admodum manca est, atque, ut ipsi Arabum historici dicunt, parum fide digna. cf. Poc. spec. p. 36. seqq. et Abulf. ibid. p. 463. et 464.

V. 28. Ion. واكمل et cod. 1455. in textu واكرم in margine واكمل. Kn. دون false. In schol. omisit Kn. وهو et pro عنده habet عنه male.

V. 29. Hic versus et sex sequentes desunt apud Ion. Kn. ايما male, quia ايما خطة hic est nominat. absolutus. cf. Sacy Gr. t. II. p. 39. Cod. 1455. in textu يسعى in margine يمشى. In schol. omisi negationem لا post الذى cum cod. 1417. sensu id postulante. Pro وودوها, quod cod. S. habet, in textum recepi فادوها cum cod. 1417. Kn. وادوها. Pro كل خطة, quae est lectio cod. S., scripsi كل خصومة cum codd. 1416. 1417. et Kn. Vulgarem lectionem تجدون emendavi in تجدون, quia sensus id postulare videtur. Cod. S. habet فصل male. Kn. المشكلات vitiose. Hunc versum Kn. non intellexit; vertit enim: *Quodcunque negotium implicitum volueritis nobis committite, cum in solvendo illo frustra laborarint optimi quique et versatissimi.* Coniunxit igitur verbum اردتم cum ايما خطة, quod fieri non potest,

*) Huius prophetae saepius mentio fit in Corano vid. Sur. VII. 66. XXIII. 34. seqq. XXVI. 123. XLVI. 21. seqq. al. ed. Mar. cf. Abulfed. apud Pocock. l. l. p. 421. seqq.

quia تسعى non legitur in aoristo conditionali. cf. Sacy Gr. t. I. p. 135.; dein verbo سعى significationem *frustra laborare* impertivit, quam lexica ignorant. Rectum iam vidit Zuz.; accepit enim ايما خطة pro nom, absoluto, et iunxit تسعى cum اردتم, ut sensus hic sit: Committite prudentiae nostrae omnes res arduas, quas a nobilissimis diiudicandas esse censetis. Optime vocem خطة illustrat schol. ad Harir. css. XXXIV. p. 377.: الخطة الامر والقصة وقيل هى الامر المشكل العظيم لا يهتدى اليه cf. etiam Abulfed. Annal. t. III. p. 108. ubi Reisk. hanc vocem sic explicat: „خطة proprie lineam, sulcum notat; dein negotium, et paene tantum grave, magnum, obscurum, intricatum, ingratum, horrendum."

V. 30. Cod. 1455. in textu شيتمر in marg. نبشتر. Kn. ملحة repugnante metro. Idem الصاقب vitiose. Cod. 1455. in textu الصامت in marg. الصاقب In schol. multa emendanda erant. Delevi particulam اى, quae in omnibus codd. schol. incipit, quia sequente verbo يقول locum habere non potest. Vulgarem lectionem لمر يتاثر bis positam emendavi in لمر يثار, requiritur enim hic aoristus condit. passivi. قد deest apud Kn. Pro والذين يتاثر scripsi والذين ثير; requiritur enim hic praeteritum passivi. Denique post وتغلب inserui لم, quia ad verum sensum eruendum necesse erat. Pro بقتلاهم cod. S. قتلاها male. Quae hic occurrunt nomina locorum non comparent in Firuzab. lexico. Vivi, ut Kn. ad h. l. bene annotavit, apud Arabes dicuntur, qui vindicem nacti sunt, mortui, quorum sanguis inultus mansit.

V. 31. Cod. 1455. او. Idem in textu السقام in margine الصجاج. — In schol. Kn. برة vitiose. Post يقول idem اذ et cod. 1417. ان quod commode abesse potest. Pro ويبين cod. 1417. ويتبين. Pro ان Kn. اذ male. Idem من الذنب quod hic locum habere non potest, quia praecedit براءتنا. — Obiicit poeta Taglebitis, quod parum accurate versati essent in quaerendis sontibus; nam si diligenter investigassent, se ipsos in culpa esse invenissent, Becritas autem innoxios.

V. 32. Pro سفكتم, ut legit cod. S. et Kn., in textum recepi سكتم cum codd. 1417. 1455. et Schultensio, qui hunc versum in notis ad Harir. css. VI. p. 235. allegavit. Quod Zuzenius suppeditat ان عرضتم et ipsum ducit ad lectionem سكتم, uti iam Kn. ad l. recte animadvertit. Schult. فكان male. Cod. 1455. et Schult. فى جفنيا, sed quum hic praepositio ب pro فى posita sit, retinenda est haec lectio, quia difficilior est et magis poetica. Schult. اقذاء sine articulo. — Vocabulum الاقذاء secundum Zuz. est جمع الجمع sive pluralis pluralis a singulari قذاة (cf. Sacy Gr. t. I. p. 275.) quod de omni re quae in oculum incidit eique dolorem creat, usurpatur; ita enim schol. ad Harir. css. XII. p. 225.: القذاة ما يسقط فى العين ويوجعها. Varias inde translationes desumserunt poetae, quarum plures e Hamasa, Ibn Doreid al. protulit Schult. l.l.

V. 33. Cod. 1455. et Kn. او cod. 1416. videtur habere اذا; sed credo legendum أن cum Zuz. Cod. 1455. in textu الولاء in marg. العلاء. Kn. النَّعلاء. — Patet ex hoc versu Becritas inducias et pacem Taglebitis obtulisse, sed quonam tempore hoc factum sit, non constat.

V. 34. Willmet., qui versum nostrum in observationibus ad Antar. Moal. p. 224. laudavit, edidit يُنْتَهَبُ forma passiva. Idem غواء vitiose. Kn. عَواء. — In schol. Kn. غناثا male. — Iam transit poeta ad alteram eamque gravissimam carminis partem, qua gloriam et virtutes Becritarum eximias laudare conatur. Quocirca recenset permulta bella inter utramque tribum coorta aliasque res gestas insignes Becritarum, quae quidem omnia auditoribus ob novitatem bene nota erant, nos autem leviter tantum scire possumus, quia Zuzenius plerumque de illis silet, ceterique Arabum historici, qui nobis ad manus sunt, nonnisi breviter haec narrant. Particulam هل hic pro قد positam dicit Zuz., quia poeta ex rebus, quas Taglebitae iam norunt, argumentatur. Verbum نهب in octava coniug. secundum schol. idem valet ac اغار *excurrere, impetum facere in hostem.* Vocem عواء, quae proprie *ululatum lupi similisve animalis* designat, Zuz. recte explicat per الضجيج والصياح; loquitur enim poeta de clamore et tumultu bellico, quem irruentes Orientales aeque ac ceteri populi antiqui edere solebant. cf. Willmet. ad Ant. M. v. 63.

V. 35. Kn. سَعْف contra metrum. In schol. pro والواحد, quod cod. S. habet, in textum recepi والواحدة cum Kn., quum sit سعفة nomen unitatis a سعف cf. Sacy Gr. t. I. p. 214. Apud Kn. deest ايضا post بعينه male. In scribenda voce الحسى saepius peccavit Kn.; scripsit enim pro والحسى quod primum occurrit والحسا, et infra pro بالحساء et الحساء edidit بالحسى et الحسى. Ad confirmandam nostram scripturam apponam verba Firuzabadii in Camuso: الحسى كالى سهل من الارض يستنقع فيه الماء او غلظ فوقه رمل يجمع ماء المطر وكلما نزحت دلوا جمت اخرى جمع احساء وحساء . . . . والحساء ككتاب موضع. Consentit igitur auctor Camusi cum Zuz., qui حساء pluralem vocis حسى et nomen loci esse dicit. In libro Bodleiano, quem ad vs. 2. laudavimus et Kn. inspexit, haec vox sic explicatur: حسا بكسر اوله وبحل بين الربذة (Kn. فزاره vitiose) فزارة لبني ماء اخره ومد. De insula بحرين vide Golii notas ad Alferganum p. 96. — Praeterea animadvertenda est in hoc versu ellipsis verbi finiti فسارت, quod Zuzenius ideo omitti potuisse dicit, quia nomen actionis سيرا sensum eius indicaret. cf. Sacy Gr. t. II. p. 353. et quae diximus ad vs. 10. — Laudat poeta Becritarum expeditionem contra tribus ex insula Bahrein usque ad Hisa, quam tanta celeritate et audacia perfecissent, ut nemo illos repellere tentaret.

V. 36. Cod. 1417. 1455. et Ion. الى. Pro قوم cod. 1455. et Ion. مر. — Commemorat aliam expeditionem Becritarum contra Tamimitas, cuius prosperum eventum hoc versu et duobus sequentibus describit. Tribus Tamimitica originem ducebat a Tamim, cuius stirps haec est: تميم بن مر بن اد بن طابخة بن الياس بن مضر qui fuit unus filiorum Nezari Adnanitae. vid. Eichhorn. mon. ant. p. 87. seqq. et tab. V. cf. Pocock. spec. p. 46. et 49. — Ad illustrandam vocem احرمنا adscribam verba Cazwinii (in notis Golii ad Alferg. p. 4. et 5.) de mensibus, quibus Arabes bellum inter sese gerere communis quaedam religio vetabat, sed Latine tantum, ut etiam Kn. placuit: „Hisce sacris mensibus Arabes tempore ante Muhammedem spicula eximebant hastis, et excursionibus abstinebant. Tum temporis, quicunque ab hoste metueret, securus tutusque degebat: adeo quidem, ut si quis patris sui aut fratris percussori occurrisset, haud quidquam illi inferre posset mali."

V. 37. Pro الذليل Ion. الخلى male, quia hic العزيز et الذليل sibi invicem opponuntur. Sensus est, Becritas communem stragem edidisse, qua neque infirmus neque fortis salvus evaserit.

V. 38. Kn. يوائل forma passiva. Pro الذى يوايل منا Ion. موايل من حزار male, cod. 1455. موايلا من حذار. In schol. pro vitioso ينجى quod cod. S. habet in textum recepi ينج cum Kn., quia post لم aoristus conditionalis requiritur. Kn. بالجبل. — Dicere vult poeta, Becritas hostes in ipsis montium verticibus locisque inviis persecutos esse.

Post hunc versum alium addit Ion. et cod. 1455. qui in isto est vs. 84. vid. Tab. synopt.:

فملكنا بذلك الناس حتى . ملك المنذر بن ماء السماء .

Talibus rebus imperium obtinuimus in homines, donec Mondir filius Maassemai illud in se susciperet.

De Mondiro rege Hirense cf. Pocock. spec. p. 70. seqq. et Rasmussen hist. praec. Ar. regn. p. 34., 35. et 36.

V. 39. Cod. 1455. et Ion. اضلع et pro لا iidem ما. Cod. 1455. in textu فيهم in marg. فيها. Kn. بها. Bold. لدية vitiose. Ion. كفاء. Kn. كفاء male, quia كفاء consentiente Zuz. hic est nomen actionis tertiae coniug., quod in verbis tert. rad. و et ى secundum formam مفاعلة aut فعال formatur. v. Sacy Gr. t. I. p. 210.; nostra lectio est etiam in Harir. css. XVIII. p. 169. In schol. Kn. المساوة vitiose. Verbum اضرع Zuz. explicat per ذلل وقهر simulque affert proverbium hocce: الحمى اضرعتنى لك i. e. *subiecit me tibi victumque dedit febris*; dicitur etiam الحمى اضرعتنى للنوم. De usu horum proverb. schol. ad Harir. css. XLIII. p. 495: يضرب هذا فى الذل عند الحاجة تنزل; idem suppeditat historiam ex Meidan., quae ansam

praebuit haec proverbia formandi, longiorem tamen eam, quam ut hic apponi possit. In Meidanii proverbiorum parte a Schultensio divulgata non reperiuntur. Nomen actionis كفاء Zuzen. in nostro versu sensu nominis agentis accipiendum dicit, quod apud poetas saepius occurrit. — Laudat, ut supra v. 27. et 28. potentiam et virtutes iudicis Amru ben Hend, ut regis amorem et favorem sibi conciliet.

V. 40. Ion. اذا contra metrum; idem رعاء. — Omissum est in hoc versu id quod comparatur, scil. اتكاليفكم, quia e contextu facile suppleri potest; vide not. ad vs. 10. تكاليف hic significat belli impetum et calamitates; eadem vox occurrit in Zoheiri Moal. vs. 47. p. 30. ed. Rosenmüll., ubi ad designandas miserias vitae adhibetur; in utroque loco Zuz. illam explicat per الشدايد والمشاق. Dicere vult poeta, Taglebitas Mondirum regem Hirensem non adiutos esse, quum bellum contra hostes gereret; dein verbis هل نحن لابن هند رعاء attingit historiam, quam Abulabbas ad h. l. conservavit, Zuz. more suo omisit. Verba illius a Kn. ad h. l. allegata sunt haec: قيل لما قتل المنذر بن ماء السماء اعتزلت طايفة من بنى تغلب وقالوا لا نطيع احدا• من ولده انحن رعاء فلما ولى ابنه عمرو بن هند وجه اليهم فقالوا رعاء (apud Kn. legitur ارعاء vitiose) •نحن فحكى الحارث ابن حلزة قولهم. De rege Mondiro vid. not. ad v. 38. Intendit poeta sine dubio verba adversarii sui Amrui ben Kelth., quibus Becritas servitutis accusat, sibi et tribui Taglebitarum libertatem vindicans. vid. Amrui Moal. v. 25. 54. et 56. seqq.

V. 41. Pro اصيب Ion. تولّى. Kn. e cod. suo Par. edidit العناء in textu et in schol., sed in not. ad h. l. reiecit hanc lectionem recipiens nostram cum cod. Bodl. et Abulabbasi. In schol. Kn. ويطل male. Vulgarem lectionem ما قتلوا emendavi in من قتلوا, et legi potest ما قتل v. Sacy Gr. t. II. p. 289. Cod. 1417. ما قتلى; sed et codicis lectio ما قتلوا defendi posse videtur. Kn. كانهم. — Notissima est formula دمه مطلول; nititur enim opinione Arabibus communi, in sanguinem occisi, cuius caedes inulta sit, rorem decidere. Ulcisci eam ob causam occisum, officium iis adeo necessarium, ut inter ipsos consanguineos diligenter sancteque servetur. vid. Schult. Excerpt. ex Ham. p. 416. v. 1. p. 466. v. 12. et 496. v. 8. 9. Cohaeret hic versus cum sequente, qui describit, qua occasione haec caedes inter Taglebitas facta sit.

V. 42. Bold. اذا حل male. Ion. العلياء et Kn. قبة false. — Cod. Abulabbasi العلاة quod Firuzab. inter alia per جبل explicat. — Pro العوجاء, quod cod. 1416. cod. S. in versu et Kn. legunt, codd. 1417. et 1455. habent العوضاء; in cod. Abulabbasi et in schol. cod. S. legitur العوصاء; Ion. الخلطاء. — In Camuso العلياء et العوضاء aut sec. alios العوصاء tanquam nomina locorum non comparent; sed de voce

العوجاء leguntur haec: العوجاء الضامرة من الابل وهضبة تناوح جبلى طيى وفرس عامر بن جوين الطائى واسم لمواضع والقوس. Montes duo, quos dicit esse tribus Thai Camusi auctor, sunt montes Adja et Solma cf. Cl. Freytagii selecta ex hist. Halebi. p. 45. 46. annot. In hoc versu vertendo lapsus est Kn. vertit enim: *Quum tenebat summum arcis Maisuna, tum propinquiorem Sedi eius Aujâ.* Accepit igitur ميسون pro nominativo et reddidit قبة per *arcem*, quod hic locum habere non potest; dein nomen loci العلياء per *summum* vertit atque verbo احل notionem *tenere* impertivit, quam nequaquam habet. Similiter Ion. et qui eum secutus est Hartmann hunc versum non intellexerunt; sic enim vertit Ion.: *When he fixed his abode in the lofty turrets of Maisuna, and sojourned in the nearer station of Khultha.* — Nos secuti sumus Zuz. et Abulabbas., qui subiectum illius regem Amru ben Hend esse dicunt, et vocem قبة, quae hic nil aliud nisi *tentorium* significare potest, cum ميسون coniungunt. — Ad illustrandum hunc versum apponam schol. Abulabbasi a Kn. ad h. l. laudat.: قوله اذا احل العلاة قبة ميسون روى ان عمرو بن هند لما قتل ابوه وجه اخاه النعمن وحشد معه وامره ان يقاتل بنى غسان ومن خالفه من بنى تغلب فلما صار الى الشام قتل ملكا من بنى غسان واستنقذ اخاه امراء القيس بن المنذر واخذ بنتا للملك فى قبة لها وهى ميسون التى ذكرها والعلاة اسم ارض وهى قريبة من العوصا والعوصا ايضا ارض

V. 43. Kn. فتادت. Bold. متاوت vitiose. Ion. et cod. 1455. لهم. Ion. قراذبة Bold. قراضبة quod praeferendum est. Kn. كانهم القاء contra metrum. — Dicere vult, regem Amru ben Hend circumdare milites rapacissimos et fortissimos.

V. 44. Ion. et cod. 1455. يشقى. In schol. cod. 1417. et Kn. مبالغة. Cod. 1417. بها. Kn. تشقى به الاشقياء. — In hoc versu expressa est, ut Kn. recte annotavit, Arabum doctrina de praedestinatione; dicit enim sensum esse hunc: voluntas Dei non potest non contingere scopum, et quicunque iuxta illam miseri evadunt, ad hoc praedestinati fuerunt. cf. Abulolae carm. II. vs. 46. Poeta hanc sententiam, qua Taglebitarum infortunia fato attribuere vult, hic inseruisse videtur, ut probra, quae in illos iactat, quodammodo leniret.

V. 45. Ion. تمنوهم اسرا repugnante metro. Idem secundum de Sacy امنية sec. Bold. امنيّة. — In verbo تمنونهم littera praeformativa futuri ت excidit, quod saepissime apud poetas occurrit. De notione vocis غرور haec annotavit Kn.: „vox غرور dicitur de fiducia, quae nullo nititur consilio, fallax est et mendax. Frequens eius in Corano usus.“ Firuzabad. in Camuso haec: غره غرا وغرورا وغرة بالكسر فهو مغرور وغرير كامير خدعه واطمعه بالباطل فاغتر هو. Vocabulum اشراء est femin. secundum formam فعلاء a form. mascul. افعل, quae in genere formatur a verbis significatione intransitiva. vid. Sacy Gr. t. I. p. 230. et 256. Exprobrat poeta Taglebitis, quod vir-

tuti et multitudini suae temere confidentes, Becritas ad bellum incitassent, qui hac temeritate commoti arma contra illos cepissent.

V. 46. Verbis لم يغروكم in cod. 1455. inscripta est vox يكن. Kn. يغروكْم contra metrum. Ion. cod. 1455. et Kn. يرفع. Cod. 1455. et Ion. جمعهم. Codd. S. 1416. et Kn. شخصكم; nos in textum recepimus شخصهم cum cod. 1417. et Zuz., nec aliter legi potest ob contextum. Ad illustrandam sententiam رفع الال شخصهم iuvat schol. egregium ad Harir. css. XXIX. p. 314. apponere; ibi schol. explicat verba ما لمع آل dicens: الآل هو الذى تراه فى اول النهار واخره كانه يرفع الشخوص وليس هو السراب وكانّ الحريرى استعمله استعمال السراب حيث قال لمع والال لا يلمع وانما الذى يلمع السراب قال ابنُ قتيبة فى ادب الكتاب لا يكاد الناس يفرّقون بين الال والسراب وانّما الال اول النهار واخره الذى يرفع كل شىء وسمى آلا لان الشخص يسمى آلا فلما رفع الشخص قيل هذا آل قد بدا وتبيّن واما السراب فهو الذى تراه نصف النهار كانه ماء ومنه قوله تعالى كسراب بقيعة يحسبه الظمان ماء Inde patet, voces الال et السراب parum ne dicam nihil inter se differre; eodem tendit Zuzenius. Voce الال igitur hic sine dubio intelligendae sunt vapores, quae meridie in deserto ad splendorem solis apparentes fulgore suo micante mirum quendam adspectum praebent, quo res quasi e terra attolluntur et maiores, quam re vera sunt apparent. Vide de hoc fallaci phaenomeno, unde Arabes multas dictiones sumsere, inprimis Gesenium ad Iesai. XXXV. 7. p. 926. seqq. — Mentem poetae recte iam assecutus est Kn., quum dicat: „Poeta vult dicere Taglebitas se nullo modo excusare posse, ac si esset incursio copiarum inimicarum inopinata et de improviso facta, quum numerus earum, per vaporem campo innatantem visus, maior esse videbatur, ac re ipsa erat."

V. 47. Pro النالق cod. 1455. et Ion. الشانى. Ion. et Kn. إنتهاء contra metrum In schol. pro الا Kn. لا vitiose. — Hic versus fere idem est cum versu vigesimo primo, quem vide. Illum excipit in cod. 1455. et apud Ion. alius, quem Zuz. omisit, nulla eius mentione facta:

ان عمرو لنا له لديه خلال غير شك فى كلهن البلاء

Amru enim amicitias cum nobis inivit, in quibus omnibus sine dubio erat beneficium.

Ion. انّ عَمْرو male et contra metrum. cod. 1455. امرا vitiose; scripsi عمرو ex emendatione.

V. 48. Pro الخير cod. 1417. الدلايل quod ex schol in textum irrepsisse videtur. Kn. أيات false et contra metrum. In schol. Kn. فيهم. — Iam transit poeta ad commemoranda tria praeclara facta Becritarum ipsi iudici nota, quorum singulis excellentia illorum prae ceteris decerneretur.

V. 49. Cod. 1455. et Ion. اذ جاوا جميعا. Cod. S. et 1416. بكل male, pro quo in textum recepi لكل cum codd. 1417. 1455. Ion. et Kn. — Maad fuit unus filiorum Adnani patris Arabum, a quo tribus Maadiensis nomen accepit. vid. Pocock. spec. p. 46. Commemorat poeta hoc versu et sequentibus bellum inter Arabes Iemanenses et tribus ad Adnano oriundas, quo Becritae eximia virtute praestassent. Alio modo hunc versum intellexit Abulabbas, qui شارق explicat per ناحية الشرق et voce الشقيقة familiam quandam Gassanitarum insigniri dicit, quam poetam hic intendisse putat. Verba illius sunt haec: شارق اى ناحية الشرق والشقيقة حى من بنى غسان جاو يغيرون على ابل لعمرو بن هند فخرج بنو يشكر فغنموهم وقتلوا فيهم

V. 50. Ion. مستلامين false et contra metrum. Bold. et cod. 1417. مستلمين male. Bold. قرضى cod. 1417. عيلاء vitiose. — قرظى est nom. gentile incolarum Arabiae felicis, qui inde nomen acceperunt, quia arbor سلم, cuius folia قرظ vocantur, copiose ibi provenit. Vocem قرظ sic explicat auctor Çamusi: القرظ محركة ورق السلم او ثمر السنط ويعتصر منه الاقاقيا وكبش قرظى كعربى وجبنى يمنى لانها منابته Qui hic commemoratur Keis notante Zuzenio erat filius Maadi Carbi ultimi regum Himiarensium; de quo vid. Schultens. hist. imp. vet. Ioctanid. p. 112. et 146. seqq. cf. Pocock. spec. p. 66.

V. 51. Ion. وصيت male et contra metrum. Cod. 1455. et Ion. ما. Cod. 1417. مصيبة vitiose. Ion. مُبيضَة male. — In schol. post العواتك omissa est vox وصتيت, quam Zuz. per اى ورب صتيت explicat; quare scholiastarum more inserui وقوله وصتيت. cf. Cl. Freytag. not. ad vs. 7. Caabi ben Zoh. وصتيت in genitivo legitur propter و, quod dicitur واو رب; frequens tale in Arabum carminibus. vid. Sacy Gr. t. I. p. 367. Interdum loco و ponitur ف, sed rarius; vide Hengstenb. ad Amrulk. Moal. vs. 14. p. 35. cf. Sacy ibid. p. 393. not. b. — Vocem مبيضة duplici modo explicat Zuz.; primum illam de exercitu intelligit, qui ob splendorem loricarum longe lateque diffusum ita vocaretur; dein alios مبيض pro epitheto gladii accipere dicit. Utrumque hic locum habere potest; nam splendor loricarum et ensium in summa laude erat apud Arabes. Sic vocat Caab. ben Zoh. loricas Koreischitarum بيض i. e. *splendidas*. vid. v. 55. ed. Cl. Freytag., et Abulola comparat splendorem loricarum cum lacu in Sekt. essend. carm. I. Msc. v. 72.: Metr. Wafir.

تسوهم كل سابغة غديرا فرنّق يشرب الحلق الدخالا

Putat quamcunque loricam esse lacum, quem obit hasta, ut bibat annulos invicem consertos.

quem sic explicat Tebrizius: والدروع ببريقها وغصونها تشبه الغدير جعل يحوم حول الدروع حومان العطشان حول الماء ليشرب حلقها الدخالا اى المتداخل بعضها فى بعض بحسب انها ماء لشبهها به cf. etiam Amrui Moal. v. 76. al. — Similiter Caab

ben Zoh. eximium splendorem ensis laudat, ubi Muhammedem ensem evaginatum, per quem lux diffunditur, appellat. v. 51. Commendat quidem schol. ad h. l. pro لسيف aliam lectionem لنور; sed quum Arabum poetae multi sint in laudandis ensibus splendidissimis (cf. Hamasa Cl. Freyt. p. 21. v. 5. et Schult. p. 430. v. 15. Amrui M. v. 36. Abulolae magnifica desciptio ensis apud Ion. poes. As. comm. p. 319. Motenabb. apud Cl. Freyt. in ed. Caab. b. Zoh. p. 26. v. 12. al.), non video cur reiicienda sit vulgaris lectio لسيف. Hanc secundam Zuzenii explicationem in nostro quoque versu libenter praeferrem, quia Becritis, quorum egregiam fortitudinem describere vult poeta, enses magis conveniunt quam loricae. Quod etiam Kn. placuit; Ion., quem Hartmann sequitur, reddit verba مبيضة رعلاء per *long and glittering spears*. — Vocabulum رعلاء occurrit h. l. tanquam epithet. gladiorum, aut, si مبيضة de loricis intelligitur, loricarum, quod infrequens esse videtur; sic enim illud explicat Firuzab.: الرعلة النعامة وجلدة من اذن الناقة والشاة تشق فتعلق في موخره كانها زنمة والشاة رعلاء من رعل والقلفة ونخلة الدقل او النخلة الطويلة

V. 52. Ion. رددناهم Bold. رددنهم male. Kn. فرددناهُمْ utrumque contra metrum. Cod. 1455. videtur in margine habere فجبهناهم, quod infra v. 54. occurit. Idem pro بطعن habet بضرب. Kn. المُزاد. — Versus huic similis exstat in Hamasa Cl. Freyt. p. 11. v. 2. Eleganter comparat poeta vehementiam, qua sanguis e vulneneribus caesorum hostium profluit, cum aqua, quae ex ore uteri emittitur. — Omissum est in hoc versu, id quod comparatur scil. فخرج الدم من جراحه; de quo vid. not. ad v. 40.

V. 53. Cod. 1455. حزن cum Tebrizio et Ibn Nahaso. vid. Willmet. ad Ant. v. 4. p. 122.; sed Zuz. حزم legisse videtur, dicit enim الحزم اغلظ من الحزن, et حزن secundum Ibn-Nah. proprie significat غلظ من الارض vid. Willmet. l.l. p. 123. Eandem notionem tribuit voci حزم Castell. s. v.; auctor Camusi dicit الحزم ضبط الامر والاخذ فيه بالثقة Kn. ثهلانَ. — In schol. vulgarem lectionem الجاناهم التحصين emendavi in الجاناهم الى التحصن cum cod. 1417.; nam verbum لجا in quarta coniug. construitur cum الى, et حصن in quinta coni. habet significationem *semet munire*, quam sensus hic postulat. — ثهلان est nomen montis in Hegiaz; ita Schultens. in Meid. proverb. p. 101. ubi proverbium ab hoc monte desumtum exstat: اثقل من ثهلان *gravior monte Thalan*. Hegiaz sic describitur ab auctore Camusi: الحجاز مكة والمدينة والطائف ومخاليفها. cf. etiam Golii not. ad Alferg. p. 98. ubi dicit; „Higjaz est Arabiae pars inter Tihamam et Negsdam; regionem hanc quoque terminat ad boream Arabia deserta, quam Arabes بادية الشام desertum sive campos Syriae vocant." الانساء est pluralis fractus a نسا quod proprie significat *nervum, qui per femur et crus ad talos fertur*; hic pars pro toto posita est, scil. pro ipso femore.

Sensus est Becritas hostes versus montem Thalan pulsos tam acriter insecutos esse, ut femora illorum ictibus vulnerassent.

V. 54. Kn. وجبهناهم repugnante metro. Reisk. in not. ad Tar. p. 123. فرددناهم. Ion. بضرب. Pro vulgari lectione ينهز n textum recepi تنهز cum Willmetii cod. Zuzenii praestantissimo (vid. eius observat. ad Ant. p. 227.) et Reiskio, qui tamen vitiose edidit تهز; Ion تنهز. Pro فى Reisk. Ion. et cod. 1455. in margine عن. In schol. vulgarem lectionem الروع bis positam emendavi in الرع cum cod. 1417., quia sensui repugnat. Dein ultimam vocem الحجارة mutavi in بالحجارة cum cod. 1417., quia in eodem schol. verbum طوى cum ب rei constructum occurrit. — Etiam in hoc versu ut in proxime praecedente omissum est id quod comparatur, scil. فنهزت رماحنا فى اجسامهم. Vocabulum الطوى recte explicat Zuz. per البير التى طويت بالحجارة واللبن; nam positum est hic praedicatum loco eius cuius illud est, quod saepissime occurrit. vid. not. ad v. 10., et quae ibi e Reiskio attulimus. Verbum دلى copiose tractavit Reisk. ad Abulfed. Annal. t. III. p. 220. seqq. a Kn. ad h. l. laudatus; ibi inter alia haec: „Inhaeret verbo دلى notio laxae et oscillantis propensionis. Hinc dicitur de arboris ramis deorsum vergentibus, de situla, de mortuo, qui in puteum foveamque ope funium demittuntur . . . . Clare patet hinc origo vocis دلو in fem. دلاة situla: propie oscillans laxe propendens." — De comparatione in nostro versu obvia Willmet l.l. p. 226.: „Non contenti enim Arabum poetae, uti ad vs. 28. (scil. Antar.) vidimus, de lacubus, cisternis, puteis vitae et mortis loqui, cum quibus cor comparant, pingunt insuper hastas ut urnas et situlas mortis, illas quidem sanguinem e corde, uti hae aquam e puteo exhaurientes. Hinc et hastas non tantum ut sitientes, verum et ut bibentes sanguinem ex inflictis vulneribus describunt etc."; et Reiskius in not. ad Tar. v. 73. p. 123. de elegantia huius versus sic statuit: „Quid, amabo, concinnius tandem illa comparatione Haretz ben Heltza in septima Moallakah, qua hastarum strepitum, quando demittuntur in corpora, vel e confossis corporibus vix revelluntur ac ne vix quidem, cum obscuro confert illo murmure et muto fremitu, quo vel irruens in profundum, vel exuberans situla quaedam sursum attracta male cedentem aquam contranitendo perrumpit." Idem et Willmet l.l. de tali comparatione permulta loca ex aliis poetis Arab. protulerunt q. v. Iones denique versum nostrum in poes. asiat. comm. p. 152. laudans dicit, hac imagine nihil aptius aut sublimius cogitari posse.

V. 55. Kn. علم male. Idem الحاينين false; nam requiritur hic dativus commodi secundum Zuz. in schol.; codd. 1417. et 1455. للخاينين vitiose. In schol. Kn. bis الهلاك male. Pro وقد حان cod. 1417. وحان. Vulgarem lectionem الهالكين

emendavi in للهالكين, quia respondet verbo antecedenti للمتعرضين. — ان in dictione وما ان est particula expletiva ut in Amrulkeisi M. v. 25. ubi Zuz. haec: وان فى قوله وما ان زايدة وهى تزاد مع ما النافية. vide Sacy Gr. t. I. p. 380. et 402. — Sensum huius versus recte assecutus est Kn. quum dicat: „Perpetravimus contra illos factum inter homines inauditum, et nullum nacti sunt vindicem." vid. not. ad vs. 41.

V. 56. Ion. ابن, quod haud vituperandum videtur, quamvis, quum inter duo nomina propria vox ابن collocata sit, eliph unionis abiicitur. cf. Sacy Gr. t. II. p. 77.; hic enim voce اعنى a praecendente حجرا separatum est ابن. Observandum vero, hanc orthographiae regulam in multis codicibus violatam esse. vide Cl. Freytag. sel. ex hist. Hal. p. 98. Pro قطام Ion. قتام. Kn. خضراء. Vitiose in scholiis Kn. pro ركب لنا habet المراكب. — Posterior versus pars duplici explicari potest ratione, aut de loricis multo usu rubiginosis et viridibus, aut de copiis Persicis talibus loricis indutis. Nos hanc explicationem praetulimus. Qui hic commemoratur حجر بن ام قطام ab auctore Camusi regibus Cendinis accensetur. vid. Pocock. spec. p. 81. Historiam, quam poeta hoc versu attingit, refert Abulabbas apud Kn. his verbis: قيل ان حجرا غزا امراء القيس ابا المنذر فى جموع من كندة وكانت بنوا يشكو مع امرى القيس ابى المنذر فقاتلت حجرا ومن معه فهزم حجر

V. 57. Pro هموس Schult. in not. ad Harir. css. V. p. 80. ذو اشبال quod vertit: *succinctus scymnis*. Kn. اذ. Cod. 1455. et Ion. secundum Bold. شنّعت, secundum de Sacy شنعت; Schult. l.l. شُنّعَت. In schol. vulgarem lectionem الحمرة emendavi in الى الحمرة cum cod. 1416. Cod. S. الاغبرار Kn. حجرا false: nam verbum كان assumit praedicatum, non subiectum, in accusativo. Vulgarem lectionem واشتدت emendavi in واستعدت cum cod. 1417. qui legit: واستعدت السنة الشديدة; eandem lectionem cod. 1416. habuisse videtur, in quo fortasse lapsu librarii omissa est lit. ع legit enim واستدت. Kn. للبشر. Idem et cod. S. الجذب vitiose. — Eleganter describit poeta fortitudinem et liberalitatem Hodiari, dicens illum esse leonem in proelio et pluviam urgente siccitate. Fortitudinem sub imagine leonis Orientales pingere tritissimum est; cf. inprimis Caabi ben Zoh. pulcerrimam leonis descriptionem v. 46—50. In versu nostro tribuitur leoni praeter ورد etiam epitheton هموس quod Zuz. de firmo eius incessu intelligit. Sed fortasse poeta alteram huius vocis significationem, scil. *diffringens praedam*, in mente habuit, quia Hodiari eximiam fortitudinem in proelio laudat. Zuz. hanc notionem in schol. omisit, Firuzab. in Camuso conservavit, dicens: الهموس السيار بالليل والاسد الكسار لفريسته كالهماس. Eodem modo Kn. hanc vocem reddidit. Ion., quem Hartmann sequitur, vertit: *trampling on his prey*. In secundo hemist. poeta Hodiari liberalitatem extollit dicens, illum esse ver in quovis anno pulverulento. ربيع, *ver* positum est pro pluvia, quae verno

tempore terram irrigare solet, qua naturae vires quasi redintegrentur. Similiter haec vox in Lebidi Moal. v. 87. usurpata est. cf. v. 4. ibique Zuz. Sub imagine pluviae autem vel nubis pluviam afferentis Arabes liberalitatem depingere solent; vide inprimis pulcerrimum carmen Hosaini Asadaci in laudem Maani propter huius liberalitatem dictum in Schult. excerpt. ex Hâmas. p. 554. seqq. cf. etiam Ion. poes. As. comm. p. 131. seqq. Willmet. ad Ant. p. 189. Bohlen de Moten. p. 64. et infra Abulolae carm. I. v. 10. seqq. — De notione et usu vocis غبراء fusius egit Schult. l.l. p. 79. seqq.; dicit ibi inter alia: *amat transferri ad inopiam sterelitatem omnemque adeo calamitatem vitae.* Inde بنوا غبراء dicuntur pauperes in Tar. Moal. v. 52. et Harir. css. XLIX. p. 577., ubi schol.: بنو غبراء هم الفقراء المحاويج سموا بذلك اما لاستفراشهم وجه الارض من غير غطاء ولا وطاء لسوء حالهم كما يقال للفقير مدقع للصوقه بالدقعاء او لانهم لا سكن لهم ولا مسكن سوى الغبراء. In versu nostro sterelitatem anni designat, uti Tebrizius ad h. l. bene annotavit, dicens: الغبراء السنة الشديدة سميت غبراء لقلة مطرها ونباتها. vide Schult. l.l. E multis versibus a Schult. hac occasione adductis unum tantum apponere placuit; quo nostro non parum lucis affunditur, e Diw. Hudeilit:

اذا اغبرّ افق وهبّت شمال انت الربيع وانت الثمال

Quum pulverulentum stat coelum et flat aquilo, tu verna pluvia, tu unicum praesidium.

V. 58. Pro غل cod. 1417. على vitiose. Kn. أمرى et Ion. أمرٍ utrumque contra metrum. Historiam huius versus refert Abulab. in schol. a Kn. ad h. l. allato: امرو القيس بن المنذر اخو عمرو وكان اسيرا لما قتل المنذر فاستنقذه بنو بكر.

V. 59. Ion. كانه. Bold. كاند vitiose, In schol. cod. 1417. هضبة دفواء دفية, quod pro هضبة دفواء دقيقة vitiose scriptum esse videtur. — Describit poeta equitatum Ausitarum tanquam fortissimum et paene invictum. جون proprie significat colorem album et nigrum equorum, dein poetarum more pro ipsis huiusmodi equis usurpatur. In nostro versu hac voce sine dubio nigri equi significantur, quia hunc colorem, qui apud nostrates etiam magni aestimatur pulcriorem habent Arabes, et tales equi probante Bocharto Hieroz. pars I. p. 106 et 107. firmissimi sunt et laborum maxime patientes. cf. Willmet. ad Ant. p. 150. seqq. Repetitum est hic vocabulum جون quod Zuz. recte sic explicat, ut secundum cum priori in statu appositionis positum sit, atque hoc prius quasi re omissum censendum. vid. Sacy Gr. t. II. p. 225. seqq. Dictum Coranicum hac occasione in schol. allatum exstat Sur. 40., 38. 39. ed. Hinckelm. Ausitae erant familia tribus Azdensium, qui a Cahlano filio Sabae erant oriundi. v. Pocock. spec. p. 42. et Eichhorn mon. ant. p.

145. In voce دثواء ex sententia Zuzenii antecedens هضبة omissum est; et vox دثواء explicatur voce دقيقة. Comparatur igitur legio illa cum monte longo tenuique.

V. 60. Ion. العجاج contra metrum. Kn. ولُّوا false. vide Sacy Gr. t. I. p. 173. Nro. 461. Apud Ion. et in cod. 1455. secundum hemistich. sic sonat: اذ ولت باقفايها وحرّ الصلاء. In schol. vulgarem lectionem نالك emendavi in نالنى quia praecedit صليتُ et اصلى; posset etiam legi نالك, sed tunc scribendum esset تصلى et صليتَ in sec. persona pronunciandum. Vulg. lection. ولى حين, quae sensui repugnat, mutavi in وللحين, sed legi posse videtur وفى ut verba تلهت نار الحرب sint pro تلهّبِ نار الحرب aut omittendum فى. De Sacy Iournal des Savans l.l. pro وفى legendum suadet ولا quod non placet. Voce عجاجة poeta significare vult bellum acre ut in hoc Moten. versu: Metr. Tawil

يزور الاعادى فى سماء عجاجة اسنتها فى جانبيها الكواكب

Visitat hostes in coelo pulveris, cuius in utroque latere cuspides sunt stellae. vide Bohlen de Moten. p. 70. v. 1. cf. v. 3. p. 71. v. 2. In secundo hemist. pugna comparatur cum igne vehementius ardente quo nil frequentius in Arabum carminibus. Verba: واذ تلظى الصلاء docte illustrat Tebriz. ad Hamas. p. 13. v. 3. ed. Cl. Freytag.:

ولا تبلى بسالتهم وان هم صلوا بالحرب حينا بعد حين

Neque deteratur strenuitas eorum, vel si torreantur in bello vices post vices. ubi inter alia haec dicit: وقوله صلو بالحرب اى باشروها وقاسوها والصلاء بالكسر ممدود وبالفتح مقصور النار وصلى النار وصلى بها صلى فالصلا بالقصر اسم ومصدر وفى القرآن سيصلى نارا ذات لهب والمصلى والصلى المشوى والعرب تشبه الحرب بالنار وصاحب الحرب بموقد النار فيقال فلان محش.حرب اذا كان يقوم بامرها واصل الحش الايقاد. cf. etiam Zoheir. Moal. v. 30. ibique Rosenmüll. Multa alia exempla suppeditat inprimis Motenabbi, quem in pugnarum descriptione omnes superare inter viros doctos constat. vide praesertim carmina in Seiffeddaul a Cl. de Sacy edita, pulcris pugnae descriptionibus plena. Chrest. Ar. t. I. p. 331. seqq.

V. 61. Pro وما cod. 1417. Ion. et cod. 1455. in marg. اذ لا. In schol. vulgarem lectionem الاثار emendavi in الثار. — Qui hic commemoratur rex Gassanitarum جبلة quintus decimus horum regum esse videtur; hunc enim Pocock. cum Al Mondiro nostro Maissemai filio bellum gessisse dicit. vid. eius spec. p. 78. cf. de Sacy in Mémoir. de l'Acad. t. XLVIII. p. 576. tab. chron. et Hamza Isfahan. in Annal. apud Rasmussen hist. pr. Ar. regn. p. 53.

V. 62. Kn. واتيناهُمْ false et contra metrum. Ion. et cod. 1455. وفديناهم. Bold. املك male. Kn. كُرُم false, nam pluralis qui hic requiritur sonat كِرام a singu-

lari كريم aut كريمة secundum formam فعال. vid. Sacy Gr. t. I. p. 264. اغلاء est plural. fractus ab adiectivo غال secundum formam فاعل (cf. Sacy ibid. p. 266), quo praestantia alicuius rei significatur. Recte dicit Zuz., hanc vocem ideo positam esse, ut discrimen, quo Becritae hanc rem perfecissent, eorumque virtus et potentia magis extolleretur.

V. 63. Ion. et Kn. ابن vid. not. ad v. 56. Ion. et cod. 1417. اياس Kn. الحباء. Vocem حباء Zuz. hic pro مهر *dote* positam dicit. Firuzab. inter alias verbi حبا significationes etiam notionem *donare* sic explicat: حبا حُبُوًّا المال رزمر فلمر يتحرك هزالا والشيء له اعترض فهو حاب وحبى وفلانا اعطاه بلا جزاء ولا منّ او عام والاسمر الحباء. Nomen امر اناس pluribus feminis commune.

V. 64. Kn. تَخْرُجْ vitiose. Ion. تَخْرُجُ. Bold. النصيحة male. — Kn. in not. ad h. l. مثلها pro nominat. absoluto agnovit, quare sic vertit: *Propinquos eius quod attinet, prodeat admonitio sincera ad populum, desertum prope id deserta;* sed perperam, nam iungenda est haec vox cum sequenti نصيحة et pronomen ها ad propinquitatem (قرابة) referendum, quam in versu antecedente poeta commemoraverat. Sic etiam Zuz. hunc versum intellexit. Sensus igitur hic est: Decet regem Amru ben Hend, ut in dirimenda lite Becritarum et Taglebitarum utramque tribum non tanquam sibi invicem inimicam tractet, sed potius admoneat, quia affinitatis vinculo ita inter se est coniuncta, ut deserta, quae incolit. Male hunc versum verterunt Ion. et Hartmann.

V. 65. Ion. et cod. 1455. والتعدّى. Kn. والتعاشيَ contra metrum, et واّما false. Idem تتعاشوا male. In cod. 1417. litt. ع verborum secundi hemist. تتعاشوا et التعاشى puncto diacritico cum atramento nigro sunt insignatae. In schol. Kn. ولا عما. Pro vulg. lectione ولذلك in textu recepi وكذلك cum cod. 1417. sensu id flagitante, et pro التغافل eadem de causa scripsi التفاعل cum cod. 1417. Vulgarem lectionem التجبر, quae hic locum habere non potest, quia repugnat notioni vocis التعاشى, quam Zuz. hic explicare vult, emendavi in التحير; facile enim fieri poterat, ut puncta diacritica lit. ى a librariis separarentur. Cod. 1416. habet التياجير, quod nihili est; de Sacy (Iournal des Sav. l.l.) legendum dicit التبختر. Iam poeta laudatis egregiis virtutibus Becritarum, in postrema carminis parte ipsos Taglebitas alloquitur, illisque cum admonitione sincera tum oratione simplici, qua tribum Becritarum a multis criminibus, ipsi falso imputatis, liberat, persuadere studet, ut Becritarum innocentiam in rebus, quae utramque tribum sibi invicem infestam reddidissent, agnoscere debeant. Sic versu nostro Taglebitas superbiae accusans dicit,

illos ignorantiam virtutum Becritarum simulasse, quod si non mitterent, vitium esse meminerint.

V. 66. Cod. 1417. خلف اذا واتركوا Bold. خلف Kn. المَجاز. — Qui hic commemoratur ذو المجاز est locus ad Minam (منى), ut Dscheuhar. dicit, quo tempore ante Muhammedem mercatus erat; de loco منى vide schol. Zuz. ad Lebidi Moal. v. 1. Firuzab. hunc locum sic describit: ذو المَجاز سوق كانت لهم على فرسخ من عرفة بناحية كبكب. Patet ex hoc versu Becritas et Taglebitas, lite quadam inter utramque tribum coorta, fide utrinque data sese reconciliasse; Zuz. hoc intercedente rege Amru ben Hend factum dicit, sed de occasione huiusce rei nil profert.

V. 67. Kn. والتعدّى repugnante metro. Cod. 1455. pro وهل in textu وان in marg. ولن. Ion. ولن تنقض; sed si admittitur lectio ولن ponendus est aoristus subiunctivi. In schol. vulg. lectiones ويطوونهـا et يلصقونها emendavi in ويطلونها et يصقلونها quia sensui repugnant. Pro vulg. lectione مهر scripsi مهرة cum Wahidio (vid. Reisk. prol. ad Tar. p. 16.), quia sic scribitur vox Persica, quae notante Zuz. ad ingenium linguae Arabicae accommodata sonat مهرق vid. Cast. lex. Pers. p. 516. Kn. بيطله. Cohaeret hic versus sic cum antecedente, ut exponat, quodnam sit illud foedus ab utraque tribu sancitum. — مهرق est e numero vocabulorum peregrinorum, quae ad ingenium linguae Arabicae sunt accommodata. Plurima illorum originem habent in lingua Persica. Ad id genus pertinet nostrum quoque vocabulum مهرق, quod ex مهرة ortum est; nam vocabula Persica in ه desinentia apud Arabes ق assumunt, uti نمره *mollis* Ar. نمرق; دله *mustella foenaria* Ar. دلق etc. vid. de Sacy Calil. et Dimna p. 6. not. 2. et Bohlen. de Mot. p. 112. Potest etiam derivari a Persico مهره كرد, ut Wahidius insignis Motenabb. commentator l. l. fecit, cuius verba haec sunt: المهرق الصحيفة يكتب عليها وهو مهره كرد وكانوا ياخذون الخرق ويصقلونها بشى ويكتبون عليها. Veram huius vocabuli notionem iam dedit Reisk. l. l. qui *laevigatam byssum et spisso pharmaco illitam* hac voce designari dicit, cui Arabes, quae perennare volebant, ut contractus etc., inscribebant. Consentit etiam Tebriz. ad Hamas. ibid., qui haec dicit: كانت العرب تصقل الثياب وتكتب فيها كتب العهود وما ارادوا بقاءه على الدهر. Videmus igitur ex hoc versu scribendi artem iam antiquitus apud Arabes divulgatam fuisse.

V. 68. Ion. اعلموا انّا. Bold. وياكم male. Kn. وأيّاكُمْ false et contra metrum. cf. Sacy Gr. t. I. p. 347. fin. In codice 1455. ut in Ionesii editione secundum de Sacy احتلفنا, quod etiam Kn. edidit, existere videtur, et fortasse idem in codice 1417. Tum statuendum احتلف idem esse ac تحالف *iureiurando mutuo dato aliquid constituere*, et ita quoque schol. Zuz. vocem explicat. Sed nostra lectio meliorem sensum praebere videtur.

V. 69. Codd. 1416. 1455. et Kn. تعتر. Pro عن Ion. فى. Apud Rasmussen, qui in Addit. ad hist. Ar. p. ٦٩ e Nuweirio hunc versum protulit, pro عننا legitur عنا; in not. ad h. l. dicit, fortasse legendum esse غشّنا vel غلّنا vel tale quid; et pro وظلما legit وزورا.—Ad marginem cod. 1416. adscriptum est schol. Nahasi hoc: العنن الاعتراض وهو منصوب على المصدر اى يعترضون لنا بالباطل والظلم والعتر الذبح فى رجب الذى تكون فيه الغنم والربيض جماعة الغنم والحجرة الموضع. Consentit igitur Ibn Nahas in explicando hoc versu maximam partem cum Zuz. Verbum عتر uterque de ove mense Redscheb idolo immolanda intelligit; Zuz. addit talem ovem vocari العتيرة. Fusius hunc ritum describit Nuweirius apud Rasmussen l.l. cuius verba hic apponam: قالوا كان الرجل منهم ياخذ الشاة تسمى العتيرة والمعتورة فيذبحها ويصب دمها على راس الصنم وذلك يفعلونه فى رجب والعتر قيل هو مثل الذبح وقيل هو الصنم- الذى يعتر له. Vocem الحجرة Ibn Nah. explicat per الموضع; sed praeferenda est Zuzenii explicatio per الناحية *pars*, quae etiam in Camuso exstat; in lex. Gol. et Cast. haec notio desideratur. الربيض recte explicat Ibn Nahas per جماعة الغنم. — Narratiunculam, quae ansam dedit proverbio, quo poeta in hoc versu usus est, exposuit Zuz.; eadem paulo uberius legitur apud Nuweirium l.l. — Eiusmodi proverbiis, quae ex dictis aut factis hominum quorundam insolitis orta sunt, inprimis abundant Arabes. Maxime illis delectantur poetae. vid. Ibn Koteibah apud Rasmuss. l.l. p. ٧٨ seqq. et Meidanii prov. ed. Schultens. Sensus igitur hic est: Taglebitae in imputandis tribui Becritarum falsis criminationibus similes sunt homini, qui loco ovium, quas idolo mactandas devoverat, dorcades immolavit.

V. 70. Kn. إنْ male. Ion. يعتم. Kn. غازِيُّهُمْ contra metrum. Ion. غازيُّهم. Ad oram cod. 1417. adscripta est historia, quam poeta in hoc versu attingit, verbis Ibn Nahasi hisce: قال اصمعى كانت كندة اخذت خراج الملك وهربت فوجه اليها من قتلهم وقيل كانت كندة غزت تغلب وقتلت وسبت فقال اتلزموننا ما فعلت كندة والجناح الاثم Proponit igitur huius annotationis auctor duas inter se discrepantes narrationes de praestantia alterutrius nil iudicans. Nobis illam, quam secundo loco affert, poeta intendisse videtur, nam sermo est de iniuria Taglebitis illata atque ipse Zuz. hoc confirmare videtur. — Cenda erat una septem tribuum insigniorum, quae a Cahlano filio Sabae, originem ducebant. vid. Pocock. spec. p. 42. et 44. Eichhorn. mon. ant. p. 141. et tab. XII.

V. 71. Ion. جرى sine Teschdid, et ita semper ubi haec vox occurrit. Cod. 1417. جـزى ايای vitiose; fortasse legendum جـرى اياد sed omnes ceteri codd. praebent lectionem العِباد Kn. العَباد. Bold. نيطا male. Kn. بجون sed in not. ad h. l. dicit, hanc lectionem esse incommodam et بجور praeferendum. Cod. 1417. يجور. Cod. 1455. بجور. Kn. لِلْحُيْلِ false et contra metrum, quare etiam male vertit:

medio dorsi camelini. Idem in schol. الجون et الاجوان pro الجوز et الاجواز. جرى, جرا et جراء non comparent in lexicis nisi in hac forma loquendi من جراك sive جرائك sive جريرتك *tui causa.* Ipse Firuzab. in Camuso nil aliud protulit; Zuz. hanc vocem explicat per الجناية *crimen.* العباد est nomen, quo plures gentes Arabum appellantur.

V. 72. Ion. النصريون repugnante metro. Cod. 1455. النصرمون. Ion. جندل. Kn. الحذاء contra metrum. Ion. الحذاء. Cod. 1417. pro الحذاء لا, ut cod. S. legit, habet والحذاء. Difficile autem diiudicatu est, quaenam lectio vera sit, quippe in Camuso neque حداء neque حذاء reperiatur. — Exprobrat poeta Taglebitis, Kaisum, Dschondalum et Hadsdsam, qui ad contentionem excitati fuissent, ex illorum numero esse.

V. 73. Bold. بن عتيق male. Kn. منهم et غدرتم repugnante metro. Vulgarem lectionem منهم emendavi in منكم ob sensum; sic quoque Zuz. legisse videtur. Kn. لبراء et Ion. لبراء male, vide quae ad v. 17. diximus. Apud Ion. secundum hemistichium sic sonat: فى يغدر فانا من حربهم براء. Bold. يعذر.

V. 74. In hoc versu consentiunt omnes codd. Historiam illius suppeditat Abulabbas apud Kn. dicens: قوله وثمانون من تميم قيل ان عمرا من ولد سعد بن زيد مناة بن عمرو بن تميم خرج فى ثمانين من بنى تميم الى نطاع وكان فيه قوم من بنى تغلب يقال لهم بنو رزاح فقتل فيهم وسبا. De Tamimitis vid. not. ad v. 36. Saepius inter Taglebitas et Tamimitas bellum coortum esse videtur. vid. Abulpharadsch. in vita Amrui ben Kelthum a Kosegart. divulgata p. ٥ l. 7. cf. p. 45. Probat hoc inprimis versus Dscheririi a Reiskio in not. ad Taraph. p. 94. laudatus; Metr. Basith

قومى تميم هم القوم الذين هم ينفون تغلب عن بحبوحة الدار

Gens mea sunt Tamimitae, ea gens, quae pepulit Taglebitas e medio domus.

V. 75. Cod. 1455. ملحبين vitiose. Pro يصم quod sensui repugnat, in textum recepi يصمر cum codd. 1417. 1455. et Ion. Hanc lectionem, quam etiam Kn. in not. ad h. l. pro sana agnoscit, et in schol. edidit, confirmat Zuzenius. Cod. 1417. منها. Cod. 1455. فيه. In schol. pro حداء حداتها Kn. حداءهم. Describit felicem exitum expeditionis Tamimitarum dicens, tam paucos Tamimitas, profligatis Rizatarum copiis tanta praeda onustos rediisse, ut cantus agasonum inter propulsandum aures audientium surdas reddidissent. Solent enim in Oriente agasones cantui aptare camelorum incessum, ut ad libitum celerius aut tardius incedant. vid. Chardin Voyag. t. III. p. 37. Thevenot Voyag. au Levant p. 309. et Kaempfer Amoenit. exoticae fasc. IV. p. 724. et 725. Recte animadvertit Zuz. poetam his verbis magnam copiam praedae intendere. — Verbum نجب in secunda coniug. animadvertente Zuzenio significat i. q. قطع بالسيوف *gladiis discindere.* Lexica Gol. et Cast. hanc notionem non exhibent; ipse Firuzabad. illam in Camuso omisit.

V. 76. Ion. secundum de *Sacy* جرى sec. Bold. اجرا. Idem pro امر ما habet او ما. In cod. 1417. deest ما. Cod. 1455. in textu امر ليس علينا فيما جنوا انداء, in marg. او ما جمعت من محارب غبراء. Male effert Ion. مُحارب. In schol. omisi الذنب ante ما cum cod. 1417., est enim pleonastice et sine dubio explicationis causa additum. — Hanifa erat pater tribus Arabum, cuius stirps haec est: حنيفة بن لجيم بن صعب بن على بن بكر بن وايل. Male edidit Kn. ex Dscheuhar. اجيم. vide Eichhorn. mon. ant. p. 128. et tab. IX. In explicando secundo hemistichio brevior est Zuzenius; sensus hic esse videtur: Num nobis imputanda est causa bellorum atrocium? vid. not. ad v. 60. Eodem modo Kn. illud intellexit qui vertit: *vel coetus pugnantium in campo pulverulento;* consentiunt quoque Ion. et qui eum secutus est Hartmann.

V. 77. Kn. جرا. Cod. 1455. in textu او ما جمعت من محارب غبراء, in marg. امر ليس علينا فيما جنوا انداء. Ion. et Kn. جُنُوا false. Kn. انداء et in schol. ابذا, sed in not. ad h. l. probat lectionem cod. Bodleiani انداء consentiente Abulabbaso. In cod. 1417. inversus est ordo horum versuum, ut hic versui 76. antecedat. — قضاعة est cognomen Amrui filii Maleci filii Himjar patris tribus Iemanensis; sic enim auctor Camusi: وبه لقب عمرو بن مالك بن حمير قضاعة ابو حى باليمن او لانقضاعه عن قومه او من قضعه كمنعه قهره منهم القاضى ابو عبد الله محمد بن سلامة. Vox انداء est pl. a ندى *ros*, quo Arabes liberalitatem sive munificentiam significare solent. vid. Harir. cons. III. p. 32. ed. Sacy., ubi a schol. per عطاء explicatur, et not. Schultens. ad h. l. p. 129. cf. Ion. poes. Asiat. comm. p. 131. Willmet ad Ant. p. 189. Hamasa Schult. p. 424. et infra Abulol. carm. I. v. 22. — In nostro versu in malam partem sumendum est hoc vocabulum atque de malis, quae hominibus inhaerent, intelligendum. Ita Zuzenius et Abulabbas apud Kn., cuius verba haec sunt: انداء جمع ندى وهو ما يلحق الانسان من الشر يقال لحقنى من فلان ندى اى شر. Post hunc versum alium inserunt cod. 1455. et Ion., quem Zuz. silentio praeterivit. v. Tab. syn.:

امر علينا جرى اياد كما قيل لطسم اخوكم الاباء

Num in nos conferendum crimen Ajad, ut dictum est Tasmo: fratres tui sunt rebelles.

Bold. اخووكم male. Ajad, qui fuit pater Ajadensium, erat filius Nazari filii Maad filii Adnan vid. Pocock. spec. p. 46. — De Tasmo tribu Arabum antiqua cf. Pocock. l. l. p. 38. et 39. et Rasmussen hist. pr. Ar. regn. p. 81. seqq.

V. 78. In schol. pro ثم Kn. كلهم. Idem post وابانة habet عن. — Cohaeret hic versus et duo sequentes cum praecedentibus 74. et 75.; pergit enim poeta in exponendis rebus, quae expeditionem Tamimitarum, v. 74. commemoratam, sequebantur. In editione Zuzenii ordo horum versuum perturbatus esse videtur; puto enim transpositos esse versus 76. et 77. quia non verisimile est, poetam narratio-

nem continuam rebus plane alienis interrupisse. Verum ordinem in cod. 1455. et apud Ion. deprehendere mihi videor. In his enim hi versus ita sese excipiunt: 74. 79. 75. 78. 80. 81. vide Tab. synopt.

V. 79. Cod. 1455. يخلوا. Cod. 1417. بنوا et cod. 1455. legit بنو ex emendatione. Pro زراح, quod habent codd. S. et 1416., scripsi رزاح cum cod. 1455. Ion. et Kn. consentiente Abulabbaso in schol. ad vs. 74. Cod. 1417. زراج vitiose. — Bold. نطاء male. Cod. 1455. عليها a priori manu et علينا ex emendatione cum Ion. In scholiis cod. S. pro يعيرهم habet يعير. — Plures in Iemana, quibus nomen fuit نطاع, extitisse locos, luculenter docet Firuzab. in Camuso his verbis: نطاع القوم بالكسر خيامهم وارضهم وكقطام وكتاب بلدة بالبحرين لبني رزاح بالتثليث موضع وكغراب ماء وككتاب واد كلها باليمامة. In nostro versu oppidum in provincia Bahrein situm significat. cf. schol. Abulabb. in not. ad v. 74. — Ad intelligendum hunc versum legendum est schol. Abulabbasi modo laudatum. Sequitur ex hoc versu, ut Taglebitae mensibus sacris bellum, cum tribubus gesserint, quod Arabes pro maximo crimine habent, vide not. ad v. 36., quare bene annotavit Kn.: „Omnium quas in Taglebitas congessit noster criminationum maxima haec, illos mensibus, quibus bellum interdictum, pugnae flammam accendere ausos esse."

V. 80. Ion. بقاسمة. Cod. 1417. بقاصمة. Kn. يبرّد vitiose, Ion. يبرّد male. Cod. 1417. العليل. In schol. Kn. omisit منهم. Pro اجواف cod. S. habet احزان. Kn. hanc vocem in جواد mutandam esse censet, de Sacy vero in احق ان. Sed vera lectio اجواف (plur. a جوف *venter*) esse videtur, quam uterque codex 1416. et 1417. Kn. et exemplar Bodleianum, quod Knachtb. inspexit, offert. Scholion opponere videtur voces ظهر *tergum* et جوف *venter*, et dicit illos non solum terga fracta, sed ventres quoque odio impletos habere. In cod. S. omissum est الماء. Kn. حرار الحقد et او قتلوا. — Eleganter comparat poeta flagrantem cupiditatem pulsorum, vindictam de hostibus sumendi, cum vehementia sitis, quam aqua restinguere non possit. Sensus est, Taglebitas fugatos caesosque ulcisci non potuisse sanguinem occisorum.

V. 81. Kn. بعد male. cf. Sacy Gr. t. I. p. 374. Idem ذلك repugnante metro. Bold. مع vitiose. Codd. 1417. 1455. et Ion. الغلاق. Kn. رأفة contra metrum. Historiam huius versus suppeditat Abulabb. apud Kn. his verbis: قوله ثمر خيل اراد اصحاب خيل من بعد ذلك اى من بعد بنى تميم والغلاق من بنى حنظلة غزا بنى تغلب فقتل فيهم

V. 82. Kn. وهو contra metrum. Ion. et Kn. الحياريين. — In schol. pro غنا, quod cod. S. habet, semper scripsi عنا ob sensum; sic legitur etiam bis apud Kn. Verba بهذا اليوم finiunt schol. apud Knatchbullium.

TABULA SYNOPTICA

quae exhibet ordinem versuum Codd. Pariss. 1416. 1417. 1455. et editionis Ionesii cum nostra editione Zuzenii collatum.

Edit. Zuz. et Codd. 1416. 1417.	Cod. 1455	Ed. Ion.
1	—	—
2	— a)	—
3	—	—
4	—	—
5	—	—
6	—	—
7	8	8
8	7	7
9	—	—
10	—	—
11	—	—
12	—	—
13	—	—
14	—	—
15	—	—
16	—	—
17	—	—
18	deest.	—
19	18	—
20	19	—
21	20	—
22	21	—
23	22	—
24	23	—
25	24	—
26	25	—
27	66	68
28	65	67

Edit. Zuz. et Codd. 1416. 1417.	Cod. 1455.	Ed. Ion.
29	26	deest.
30	27	it.
31	28	it.
32	29	it.
33	30	it.
34	31	it.
35	32	it.
36	33	34
37	34	35
38	35	36 b)
39	37	—
40	57	59
41	56	58
42	58	60
43	59	61
44	60	62
45	61	63
46	62	64
47	63 c)	65 c)
48	67	69
49	68	70
50	69	71
51	70	72
52	71	73
53	72	74
54	76	78
55	73	75
56	74	76

Ed. Zuz. et Cod. 1416.	Cod. 1417.	Cod. 1455.	Ed. Ion.
57	—	75	77
58	—	77	79
59	—	80	82
60	—	81	83
61	—	78	80
62	—	79	81
63	—	82	84
64	—	83 d)	85
65	—	38	40
66	—	39	41
67	—	40	42
68	—	41	43
69	—	49	51
70	—	42	44
71	—	45	47
72	—	48	50
73	—	44	46
74	—	50	52
75	—	52	54
76	77	43	45
77	76	46 e)	48 e)
78	—	53	55
79	—	51	53
80	—	54	56
81	—	55	57
82	—	36	38

a) In hoc cod. primum versum excipit alius (vid. pg. 14.), quem in numerandis versibus omisi.

b) Post hunc versum alium habet Ion., de quo vide pg. 28.

c) Versum 63. cod. 1455. et 65. ed. Ion. sequitur alius, quem vide pg. 31.

d) Versus 84. cod. 1455. est idem cum v. 37. ed. Ion. de quo vide not. b.

e) Hoc loco alium versum addunt cod. 1455. et Ion., quem vide pg. 42.

ANNOTATIONES

AD CARMEN ABULOLAE PRIMUM.

Vers. 1. Verbum رام hic significat *infestare*; schol. illud recte explicat per طلب بالمضادة والمعاداة. Voce الجوزاء Arabes significant *astrum Geminorum* et *sidus Orionis*. vid. Ideler Untersuchungen über den Ursprung und die Bedeutung der Sternnamen p. 156. 213. et 325. — Neglecto poetarum Arabum more solenni, Casidas ab amore incipere (cf. not. ad Hareth. v. 1.), poeta statim in initio carminis magnitudinem et virtutes eius, quem celebrat, in altum extollit. Comparat hoc versu Abulkasemum cum sidere Orionis, dicens, sicuti homines ad hoc sidus pervenire non possint, ita inimicos nil contra ipsum valere, quamvis eius merita, quae tam pulcra sint et perfecta quam luna plena, diminuere studeant.

V. 2. يك est licentia poetica pro يكن; saepe enim propter metrum consonans finalis abiicitur per apocopen (ترخيم), ut الذى pro الذين etc. vid. Sacy Gr. t. II. p. 375. cf. Bohlen de Moten. p. 110. — Dicere vult poeta, carmina Abulkasemi suis tam longe praestare, quam aquilae turturibus, et ob hanc causam comparationem carminum cum avibus instituit in versu.

V. 3. ودينا schol. explicat per وادى اذهاننا وافكارنا. Praestantiam modo laudatam aliter nunc describit. Comparat nempe carmina illius cum Atsla, arbore alta et nobili, sua autem ipsius cum Thomama, planta tenerrima et vili, qua obstruuntur domorum rimae.

V. 4. De praepositione ب vocis بحار cf. Sacy Gr. t. I. p. 356. 7. Schol. pro diversa vocis منعم scriptura diversum offert sensum; scribi enim potest aut مُنعِم aut مُنعَم. Prior lectio, quam probante Tebrizio in textum recepi, in

universum significat ذو نعمة et hunc praebet sensum: qui multas opes possidet et mundum universum pro pretio offert non assequetur meritum tuum legitimum. Altera, quae minus placet, ad Abulkas. referenda est, et significat illum من انعمت عليه; sensus igitur esset: non pensare potest meritum tuum, qui dona a manu tua accepit, etiamsi mundum pro pretio legitimo offerat.

V. 5. Sensus: tantae sunt virtutes tuae, ut carmine, quo illas celebrare ausus sum, attingere nequeam.

V. 6. De voce علياء vid. not. ad Hareth. v. 6. Pluralem ضوارى lex. Golii non exhibet; Cast. explicat hanc vocem per *iumenta quibus vir uti consuevit.* Sed aliter schol. quum dicat: الضوارى وهو الاسد والنمر والفهد والذيب وغيرها من سباع الوحش. — Dicere vult poeta: merita tua et gloria inde parata vertici montis excelsi similia sunt, ad quem difficilis est ascensus. Attamen nobiliores huius gloriae quodammodo participes esse cupiunt, quum eam attingere nequeant. Comparatione vero gloriae cum monte instituta, eadem via procedens, nobiliores homines cum feris comparavit, ignobiles cum agnis.

V. 7. Pergit in laudanda verticis excellentia, quem Abulkas. inhabitare dixit. Causam, cur addiderit poeta vocabulum ادعاء, hanc affert schol.: ادعاء يزعم منه على أن المسك لا يبلغ هذه الدعوى ولا يصير مثل ترابه.

V. 8. et 9. Versus octavus cohaeret comparatione cum versu sexto, in quo de feris sermo erat. Hic mons propter tuam praesentiam offert dorcadibus fugientibus asylum, quum ipsi leones ceteraeque ferae timore repulsi ad eius radices accedere non audeant. Tum vero ad maiora se convertens dicit: ipsa mors, si ullo modo repelli posset, haec loca, ubi tu habitas, non aggrederetur.

V. 10. Transit poeta ad laudandam Abulkasemi liberalitatem, quae inter Arabes magni aestimatur. vid. not. ad Hareth. v. 57. Saepius dona, quae liberalis largitur, cum pluvia vel nube comparantur, quum a pluvia iusto tempore et largiter defluente ubertas anni dependeat. Poeta noster manibus talem effectum tribuit, quippe quae sint dona porrigentes.

V. 11. Appellat manus nubes albas, quum sint albae. Tales nubes pluvia non abundant; sed hac manus tam larga dona praebent, ut coeli nubes nigras i. e. aquae copia abundantes non respiciamus tanquam nobis haud necessarias.

V. 12. Verba حوض المزن explicat schol. per *mare,* dicit enim: حوض المزن هو البحر الذى يحمل السحاب الماء منه. Sensus est sponte et lubenti animo donis cumulas illos, qui sperant, neque cessas, donec impleti sunt beneficiis. Hunc versus sensum comparatione nubium adhibita exornat. Nubes liberalitatis eius, ut ita

dicam, cum cisterna comparat, quae sponte se a coelo demittit, et ad quam ne accedere quidem opus est.

V. 13. Verbum اصبح, quod proprie significat *mane fuit*, h. l. idem valet ac كان; saepe enim verba, quae praeter notionem *esse* nil habent, nisi significationem temporis loci etc., hanc abiiciunt, ita ut tanquam synonima verbi كان adhibeantur e. c. اضحى , امس , صار . vid. Sacy Gr. t. II. p. 50. et 51. Vox توام quae est plur. a تَوْأَمٌ h. l. de *margaritis inter se nexis* usurpatur; propriam illius significationem exhibet schol. his verbis: توام جمع توام من تامت المراة اذا جاءت بولدين توامين في بطن واحد. — Laudat poeta hoc versu Abulkasemi dona pretiosa, dein facilitatem, qua homines illa accipiunt, postremo donationem largam. Primum indicant margaritae, quae, ut Plinii verbis utar, principium culmenque omnium rerum pretii tenent. Praecipue autem laudantur circa Arabiam in Persico sinu maris rubri. vid. Plinii H. N. l. IX. c. 35. — Facilitas cognoscitur ex verbis اصبح طافيا على الماء ad quae schol. bene annotavit: در البحر قد علا وجه الماء وظهر عليه فصار الناس يختارون منه ما يشتهون ازواجا. Donationem vero largam indicat vox توام quam modo illustravi.

V. 14. Alio modo hic describitur facilitas, qua Abulkas. dona hominibus offert. Ad intelligendum hunc versum legenda est Salii dissert. praelim. in Coranum p. 147. seqq. ed. Arnoldii.

V. 15. Laudat poeta magnas eius divitias simulque eius liberalitatem. In liberalitate exercenda temporis mandato obtemperat, quod tam multas erogandi occasiones offert, et hoc facit sui ipsius nulla ratione habita; voces enim قبل احتكامه innuere videntur, Abulkasemum omnes suas opes largitione perdere (id quod Arabibus magno habetur laudi, ut Hatemi Thajitae exemplum docet), dicit nimirum: hoc autem facit, priusquam ipsae divitiae, iam ad desperationem nimiis donis redactae, mandatum de intermittenda largitione profere possint.

V. 16. Voce ذو القرنين Arabes fere omnes Alexandrum Macedonem intelligunt. vide Maracc. ad Coran. sur. 18. v. 85. et schol. ad carmen Arab. Amali dictum v. 30. ed. Bohlen; de origine huius nominis cf. Ideler Handbuch der math. und techn. Chronologie vol. II. p. 510. et 511. — Saepissime poetae Arabum praesertim recentiores mentionem faciunt Alexandri magni cf. Abulolae carm. II. v. 19 et Bohlen de Mot. p. 20. Voce سد intelligendus est murus Scythicus seu Sinensis ex aere ferroque exstructus, quo Alexander aditum gentibus Gog et Magog praeclusisse fertur, ne ad finitimos populos devastandos transilirent, neque e finibus suis usque ad supremum iudicii finem possent exire. Huius muri saepius mentio fit in Corano. vid. inprimis sur. 18. v. 94. seqq. ibique Maracc. Hunc murum bis

quoque respicit Moten. vid. Bohlen l.l. — Verba من ذوب النضار posita sunt pro من المذوب النضار *e liquefacto auro;* saepius enim poetae nomine actionis pro participio passivi utuntur.

V. 17. Hoc versu nimiam esse liberalitatem excusat comparatione instituta, qua simul laus oritur. Comparat enim poeta Abulkas. cum leone, ceteros cum formicis. Dicere vult Abulkas. esse fortissimum, cui non opus sit formicarum instar victum suum in futuri temporis usum reponere, sed qui semper sit paratus ad acquirendas res necessarias.

V. 18. et 19. Extollitur his versibus singularis amor, quo principes regionum, quas Abulkas. inviserat, ipsum prosecuti erant.

V. 20. Transit poeta ad celebrandam laudati virtutem et nobilitatem. Multi sunt poetae in laudandis equorum virtutibus (vid. inprimis Amrulkeisi pulcerrimam equi descriptionem, v. 50. seqq. ibique Hengstenberg), et quum equi apud Arabes in magno honore essent, poetae comparatio nos offendere non potest. Dicit, ut nobilissimus equus, iamiam fatigatus, ceteros cursu superat, ita tu multum virtutibus tuis praecellis.

V. 21. Vide, quae de leone, imagine fortitudinis, in not. ad Hareth. v. 57. diximus. Transit poeta ad laudandam Dschalabitarum liberalitatem et praestantiam, Abulkasemum principem leonum, Dschalabitas autem simpliciter leones nuncupans, ut ex sequenti versu patebit.

V. 22. Describuntur hoc versu et sequentibus leones modo commemorati verbis بنو الجلبات, quae in statu appositionis posita sunt cum تثقل الاسد versu praecedente. Dschalabitae erant tribus nota in regione Syriae, e qua Abulkas., ut supra iam dixi, oriundus. ندى proprie significat *ros*, h. l. idem valet ac عطايا *munera*, ut saepius; cf. not. ad Hareth. v. 77. Comparat poeta Dschalabitas ob magnam copiam cum cohortibus. Tum laudaturus eorum summam liberalitatem, dicit: et hae donorum cohortes inopinato supervéniunt, et in ipsas domos quasi vi irrumpunt, i. e. dona sponte et non petentibus offeruntur. Pergit vero in hac comparatione dicens: ipsi nolentes ut ea accipiant coguntur, ita ut hae donorum cohortes impetum in regionem hostilem facere videantur.

V. 23. Comparat Dschalabitas cum sole, ceteros cum شهب ظلام i. e. *stellis.* Dicit: sicut nox, cui mundus comparandus est, stellarum suarum lucem solis splendorem referre praedicare non potest, ita mundus ceterorum hominum facta praeclara illis, quae Dschalabitae exsequuntur, paria iudicare nullo modo potest. Sensus igitur est, Dschalabitas in gerendis rebus magnis ceteris hominibus longe praestare.

V. 24. et 25. Dicere vult, Dschalabitas, qui sunt gladius non indigere ceteris hominibus, qui sunt sagittae, istos autem sine illis subsistere non posse. Eandem praestantiam Dschalabitarum sequenti versu aliter describit, ipsos cum Arabico sive nobili equo, ceteros homines cum ignobili comparans. Ex sententia poetae neque copia hominum, neque eorum externus ornatus sed interna virtus est, ex qua aestimatio pendet. Licet ceteri numerosiores et splendidiore ornatu distincti sint, attamen propter internas virtutes Dschalabitae praestant.

V. 26. Cohaeret hic versus cum versu vigesimo quarto, quo Dschalabitas cum gladio comparaverat. Quum aliquis obiiceret, eorum virtutem bello probatam non esse, dicit, sicuti ex indiciis gladii virtus cognosci posset, ita Dschalabitarum quoque virtutes pugna non probatas diiudicari posse.

V. 27. Iam redit poeta ad laudem Abulkasemi, a qua propter Dschalabitas paulum discesserat. Dicit, quodsi Said quidam causa relinquendi Bagdadum non fuisset, hunc in praefectura sua tantam gloriam sibi comparaturum fuisse, ut inter sidera sedem fixisset. Privato autem hominum consuetudine, qui ad tantae celsitudinis locum pervenire non possent, compotores ipsa sidera eligenda fuisse. Tum vero rationem eius habens, quod sidera vinum bibere non possunt, dicit, eum dimidium vini sideribus concessum in terram effusurum fuisse.

V. 28. Explicatur sensus eius quod praecedit. Adhad-Aldaula Abulkasemum praefectum urbis Bagdadi, quae hic الزوراء nominatur, creaverat, dein a praefectura removerat. Quod poeta in laudem Abulkasemi convertit, dum ei, quod urbs, non ipse, gratia Adhad-Aldaulae excidisset, adscribit et sperat, futurum fuisse ut Adhad Aldaula, si hanc sedem suam Abulkas. non reliquisset, ipsum, quum pars gratiae eius erga urbem superstes esset, ad praefecturam revocaret.

V. 29. Commemoratione Saidi ducitur poeta ad describendum iter nocturnum Abulkas. v. 29—47. Bene dicit Reisk. in not. ad Tar. p. 59.: „Sicubi igitur laudes suas recensent Arabes recensent autem saepius, partesque honesti viri et nobilis enumerant, desertorum pervagationi non ultimum locum tribuunt." Saepissime describunt poetae itinera nocturna tanquam difficillima, pari enim modo haec requiruntur ad consequendam gloriam, quam meridiana in solis caloribus, vid. Reisk. not. ad Tar. v. 42. seqq. cf. Abulolae carm. II. v. 6. seqq. Noster inprimis in hac noctis descriptione more suo omnia congessit, ut iter laudati gravissimis molestiis ac ingentibus periculis coniunctam pingeret. Hoc versu noctem tam longam fuisse dicit, ut Abulkas. Auroram mortuam putaret, et terram taedio longae noctis adductus interrogaret, ubinam essent illius ossa cariosa. Cariosa autem Aurorae mortuae ossa vocantur, quod per longum temporis spatium per terram dispersa

iacerent; poeta igitur hisce verbis scil. ossibus cariosis noctem longissimam fuisse indicat.

V. 30. Kovaik est fluvius ad portam Alepi. Sensus: Abulkas. in itinere suo recta via Alepum petiisse.

V. 31. Itineris mentione facta ad camelorum, quibus vehebatur, descriptionem se convertit. Albos vocat camelos Abulkas., quia pro optimis habentur. Simul autem et obscuriori modo fortunae iniuriam et tam paucos esse generosos queritur, ut cameli, quibus hoc tribuit, intimos temporis recessus perscrutari cogantur ad inveniendum quendam generosum. Poeta hisce verbis Abulkas., quem laudat, omnibus generosis anteferre videtur.

V. 32. Verba على العلات explicat schol. per على ما بها من التعب والاعياء. Vox ربد, quae est plur. ab اربد, est epitheton struthionis ob colorem illius pulveri similem Dicere vult, camelos tam celeres esse, ut etiamsi fatigati cursu cum struthionibus certare valerent. Nimis audacter. Alium locum e Diwano Abulolae nostro haud absimilem attulit Reisk. in not. ad Tar. p. 61. Metr. Wafir.

فاقسم ما طيور الجو سحما كهن ولا نعام الدو روحا
ودون لقايك الهضبات شما تفوز الطير والفلوات فيها

Iuro tam celeres non fuisse aves aurae nigras (aquilas), neque struthiones deserti pedibus ab invicem distantibus.

Et quum emetiendas haberent, antequam ad te perveniretur, altas rupes et ampla deserta, superabant tamen aves.

dicens: ,,de hoc loco plane furibundo nescio quid dicam. Haereo, stupeo." cf. Willmet ad Ant. p. 159. seqq.

V. 33. Describit campum planum (الهجل) tanquam regionem periculosam. Alludit ad superstitionem illam Arabum veterum, qua e capite mortui bubonem egredi putabant, qui, si quis occisus fuerit, semper clamaret: ,,potate me, potate me", donec de caedis auctore repetita esset ultio. Annihilavit inter alias etiam hanc superstitionem Muhammedes, ut schol. recte annotavit: الهام الصدى ضرب من الطير يطير بالليل والعرب تقول ان روح القتيل والميت يصير طايرا يزقو ويقول اسقوني اسقوني ويسمى ذلك الطاير الهامة والصدى ويقولون ان الصدى يخرج من هامة راس الميت وقد ابطله الشرع حيث قال النبي عليه السلام لا صدى ولا هامة Cf. etiam Pocock. spec. p. 140. Reisk. in not. ad Tar. p. 120. seqq. et Rasmussen. in Additam. p. ٧. — Poeta his verbis nil aliud dicere vult, quam pullos camelorum in hac pessima regione mortuos esse. — Alium Abulolae versum attulit Reisk. in not. ad Tar. p. 79. et 80., quo regio plane deserta et inculta cum speculo polito politae feminae comparatur. Ad hunc ver-

sum bene annotavit Reisk.: „Nimis argute. Neminem adhuc vidi, qui aenigmatico scribendi genere adeo quam hic sibi placuerit."

V. 34. Audacissime dictum. Indicare vult levem cameli incessum; cf. not. ad Hareth. v. 12.

V. 35. Hic versus cohaeret cum verbis versus tricesimi primi. Comparat poeta sudorem equorum propter albedinem illius cum saliva ex ore profluente. Sensus est, equos celerrime in itinere cucurrisse.

V. 36. Hunc versum cum praecedente laudavit Reisk. in not. ad Tar. p. 61., ubi poetam nostrum magnae audaciae accusat. Idem dicit p. 60.: Morem Arabum poetarum, illas praesertim camelos laudandi, quae usu attritae et extenuatae et ad adversam quamvis fortunam eduratae sint, ingenio Abulolae saepius occasionem luxuriandi praebuisse. cf. infra Abulolae carm. II. v. 21. Talis camelus vocatur عوجاء curva. Elegantissimi lusus hinc occasionem arripuit Abulola in Sekt., ubi dicit, camelos suos omnes evasisse ut ن *Nun*, quia per hanc litteram omnis res curva repraesentatur; versus huc respicientes vid. apud Reisk. l.l.

V. 37. Iam coniungit hoc versu cum descriptione camelorum mentionem longae noctis in desertis peractae, quam rem v. 29. tractaverat. Anxie exspectavit Abulkas. in illa nocte Auroram orientem, eius autem splendor nonnisi in spuma alba iumentorum apparere videbatur.

V. 38. De voce عواصم Firuzab. in Camuso haec: عواصم بلاد قصبتها انطاكية. Describitur hoc versu et duobus sequentibus celeritas, qua potationem subierint cameli proficiscentes. Dicit poeta: in itinere cameli potum ex aquis regionis Avazim recordati sunt, et eo tendere cupiverunt; sed, quominus ad illas regiones accederent, hostium hastae, qui regiones interiacentes occupaverant, impediverunt.

V. 39. Dicere vult: si ipsa aqua salubris in propinquo fuisset, eosque ad potum clara quasi voce invitasset, ob nimiam festinationem eam adire ausuros non fuisse.

V. 40. Vocabulum غلفق a scholiaste sic illustratur: الغلفق مثل العرمض وهو الخضرة التى تعلو الماء والطحلب الخضرة التى تستقر فى قرار الماء. Comparavit poeta aquam cum sponsa, cuius facies musco aquatico tanquam velo obtecta est. Camelus vero ei sponsus est, qui desiderio bibendi actus aspicere cupit sponsae seu aquae faciem, sed propter nimiam festinationem velum removere non audet. Sensus igitur est: cameli propter summam festinationem aquae muscum ore non removent bibentes. Schol. ad h. v. animadvertit, Abulolam in scribendo hoc versu forsan in mente habuisse versum Abulkabiri Hudseilitae: Metr. Camil.

فصددت عنه صاديا وتركته   يهتز غلفقه كان لم يكشف

Declinavi ab illa (aqua) sitiens eamque reliqui, dum motus erat muscus aquaticus, non remotus.

V. 41. Aliter describit nimiam festinationem in itinere simulque addit causam illius; qua re ducitur ad describendas has regiones periculosas. Dicit: abundat quidem regio inter Iracam et tractum Syriae littoralem aquis, sed difficilis est accessus propter hostium propinquitatem et metum, ne aliquis eas accessurus ab hostibus interimatur. Commode igitur hae aquae *venenatae* dici possunt.

V. 42. Ipse ventus Eurus, quum rarissime flet, ibi insidias hostium timere putari potest.

V. 43. Pergit poeta in describendis periculis huius loci. Constat inter omnes, ingentem arenae copiam in desertis reperiri, quae peragrantibus summas molestias creat, ac saepissime densas arenarum nubes in coelum se extollere, quae decidentes totum viatorum agmen haud raro obruunt. In his vero desertis, quae poeta noster describit, talis arenae copia reperitur, ut ipse solis meridiani splendor ea obrui timeat, eamque ob causam haec loca nonnisi invitus invisat. — Placuit hic apponere Abulolae meridiei descriptionem, quam Reisk. in not. ad Tar. p. 90. afferens, admodum elegantem vocat: Metr. Camil, si primum versum excipis, in quo aliquid deesse videtur.

هجيرة مواج سرابها كالبحر ليس لمايها من طحلب
اوفى بها الحرباء عودى منبر للظهر الا انه لم يخطب
فكانه رام الكلام فمسه عى فاسعده لسان الجندب

Flagrans *meridies* et stolida, cui vaporum fluctus est ut mare, cuius aqua trichophyllo non tegitur;

In qua chamaeleon ascendit gradus cathedrae in meridianis precibus, excepto quod homiliam non recitet;

Quasi vellet perorare, sed quum linguam raucedo et haesitatio invaserit, a scita cicada succenturiatur.

Willmet, qui in observatt. ad Antar. Moal. p. 232. eosdem versus laudavit, recte dicit, illos frigere omnique pulcritudine destitutos esse.

V. 44. Sensus, lunam non conspici in hac regione, quippe ob ingentem pulverem paene obscuratam.

V. 45. Describit noctes huius regionis tanquam aterrimas. — لامه positum est per elisionem pro الأمه ob metrum. vide Cl. Freytag. praef. ad Caab. ben Zoh. p. 6. seqq. et Bohlen de Mot. p. 110. 4. Voce طيف sive خيال significant Arabes *imaginem nocturnam* sive *idolum amasii*, quod in noctibus longis atque molestis, quas vigilantes transigunt, apparere fingunt. Unde exstat. etiam proverb. apud

Meidan.: انس من الطيف „*blandior imagine nocturna.*" vid. Meid. Prov. ed. Schult. p. 14. cf. de hac imagine Hamasa Cl. Freytag. p. 23. l. 1. seqq. et Bohlen de Mot. p. 59. — Dicit poeta, ne spectrum quidem in his noctibus apparuisse, vult ergo noctes huius regionis esse aterrimas. — Aliam noctis aterrimae descriptionem e Diwano Abulolae divulgavit Reisk. in not. ad Tar. p. 109. quam hic repetere iuvat: „Inde etiam metaphoram sumsit luxurians Abulolae ingenium ad describendas viae molestias longissima nocte et aterrima, in qua nulla lucis scintilla emicabat: Metr. Wafir.

واصباح فلينا الليل عنه كما يفلى للنار الرماد
ابل به الدجى من كل سقم وكوكبه مريض ما يعاد
ولو طلع الصباح لفك عنه من الظلماء غل او صفاد

Matutinam lucem quaerentes discussimus noctem et sollicitavimus, ut sollicitantur ob ignem eliciendum cineres:

Noctem cuius omni morbo purae erant et intemeratae tenebrae; stella contra aegrotus, qui non visitatur.

Cuius umbrosa vincula et nigricantes pedicae, quantocius aurora emergeret, defluerent.

Stellam (lunam putat, aut aliam quandam maiorem, aut potius totum astrorum complexum) aegrotum nominat, qui non speratur in dias luminis auras unquam rursus elapsurus, ideoque stragulis involutus et exstinctis taedis a circumstante turba ceu praeda adventanti morti certissima derelinquitur."

V. 46. ردى, quod est nomen actionis, scholiast. noster explicat per الموت et schol. ad Tar. Moal. v. 98. per الهلاك; in lexicis Golii et Cast. haec vox desideratur. — Sensus est, si perdurassent tenebrae harum noctium, nec retectae fuissent, mors ipsa ne unum quidem invenisset, quem perderet.

V. 47. Quum alii poetae, si iter nocturnum describunt, laudant vel hominis faciem vel gazellam, quae lucem aliquam in hac nocte praebuisset, uti Amrulk. Moal. v. 38. Lebid. v. 43. Motenab. in de Sacy Chrest. Ar. t. I. p. 334. v. 18. et p. 343. v. 23. et apud Horst. v. 7. et 8. ibique schol.; noster comparans noctem cum homine, qui sperat, fore ut adolescentia sua perpetuo duratura sit, sed paene vir factus senex fit, more suo ipsum laudatum lucem nominat, quae tenebras densissimas fugasset.

V. 49. Hoc versu incipit poeta perstringere tribum Okeilitarum, quae a Kais Ailan filio Modari erat oriunda, inter quos unum, principem puto, maxime spectare videtur. Dynastia Okeilitarum floruit in Mosul, Anbar et Cufa, primusque regnavit Abu Dzuvad Muhammed filius Mosajjebi, qui anno 380. Mosul expug.

navit; vide Pocock. specimen p. 48. et Rasmussen Annal. Islamis. p. 17. seqq. — Verba خزر عيونها dicuntur de hostibus; sic enim schol. illa explicat: الاخزر الذى يضيق اجفانه عند النظر وهو نظر الغضب والعداوة.

V. 50. دوين est diminutivum a دون. Vox الخنى occurrit etiam in Taraph. Moal. v. 93. In lexicis reperitur tantum forma الخناء, quae ut nostra significat *sermonem turpem et obscoenum*; schol. illam recte explicat per الفحش والفعل القبيح — Poeta his verbis alludere videtur ad inhospitalitatem Okeilitarum atque aviditatem, ut e versibus sequentibus apparet. Comparare videtur verba turpia, quibus hospitium denegatur viatoribus, cum equo, qui ad manus equitis ducitur, ut semper paratus sit. Sensus igitur est: semper verba turpia, quibus repellunt hospites, parata ipsis sunt.

V. 51. Vocabulum ناب significat *camelum annosum*, quem hospitibus edendum proponere non decebat; sic enim schol. ad h. l.: الناب المسن من الابل وهو غير مختار للقرى. — Perstringit poeta noster inhospitalitatem huius tribus atque aviditatem. Ut enim Arabes amantissimi sunt hospitalitatis eamque fere in quovis carmine laudibus extollunt, ita inhospitalitatem maxime exprobrant, atque avaris summa mala precantur. Quos plerumque etiam proverbiis notarunt, quorum nonnulla e Meidanio Schult. divulgavit. cf. p. 20. 60. 124. al.

V. 52. ركب, quod est plur. a راكب, praesertim de illis dicitur. qui camelo vehuntur, vide Hamas. Cl. Freytag. p. 8. v. 2. ibique Tebrizium. Vox ملام, quae est nomen actionis a لام secundum Firuzab. in Camuso, non exstat in lex. Gol. et Cast.; schol. illam explicat per لوم. — Describitur perfidia Okeilitarum, qui hospites ideo ad se invitant, ut opes illorum occupent.

V. 53. Prior huius versus pars pro varia vocis حباحب significatione variam admittit interpretationem. حباحب enim est nomen viri admodum avari adagio celebris, qui metuebat ignem accendere, ne ad ipsum hospites venirent; dein significat etiam uti h. l. noctilucam. De varia huius vocis significatione schol. haec: نار الحباحب طاير صغير يطير بالليل كانه شرارة وقيل هو النار التى تنقدح من حوافر الخيل وقيل الحباحب لص من اللصوص كان يوقد نارا ضعيفة وكذلك نيران اللصوص ضعاف. Idem sensum versus nostri hunc esse dicit: يطمع فى غير مطمع; mihi vero poeta his verbis illorum avaritiam describere voluisse videtur hoc sensu: Okeilitae tam avari sunt, ut ne ignem quidem solito more accendere, seu accensum alere audeant.

V. 54. Poeta hic pergere videtur in avaritiae descriptione. Ipsae lacertae, metuentes ne avarus iste pro cibo ipsas sibi capiat, e tentorio discedunt.

V. 55. Eleganter describitur in hoc versu singularis avaritia.

V. 56. Praepositio ب vocis باحسن est hic mere expletiva, vid. Sacy Gr. t. I. p. 356. Dicere vult poeta hanc tribum esse divitiarum cupidissimam.

V. 57. Hoc versu et sequente invocat contra tales, quos modo descripserat, Dei iram.

V. 60. Pergit poeta in laudandis Abulkas. virtutibus. Comparans naturam illius cum melle dicit, Abulkasemum, quum sit indole omnibus placente praeditus, ipsa pericula, quae tanquam personas depingit, deglutire tentasse, sed propter amaritudinem eius non valuisse. Sensus igitur est: licet Abulk. natura sit miti et omnibus cara, tamen, quippe maxima fortitudine praeditus, ex omnibus periculis salvus evasit.

V. 61. et 62. His versibus extollitur singularis fortitudo Abulkasemi, quae instar prunarum, gladii acuti et copiae aquarum iam timenda, licet ipse quiescat.

V. 63. Redit ad munificentiam Abulkasemi, quam supra iam laudaverat, dicens: quum omne oppidum, in quo laudatus commoratur, exsultat de largitione eius amplissima, lugent opes iniustitiam illius, qua distrahuntur et donis adhibentur.

V. 64. Contrariam deinde describit ceterorum hominum in divitiis conservandis agendi rationem. Hae ipsis, dicit, commodo non sunt, quia semper conservantur, nec ubi necesse est erogantur. Conservare autem opes magis periculosum est, quam erogare; quam saepe enim accidit, ut vel maximae regum divitiae sub claustro fortunae quodam casu perierint.

V. 65. Ille a Bagdadi incolis, cuius praefecturam exercuit, vituperatur, ut munere suo eum male perfunctum esse putare possis; sed aliter se res habet, nil enim praeter discessum ex illa urbe ipsi vitio vertunt.

V. 66. Elegans et ingeniosa comparatio. Dicere vult, Abulkas., quum e Bagdado discessisset, similem fuisse aetati puerili; ut enim haec nil in se habet, quod contemnas, nisi quod abierit, ita quoque Abulkas. est vitiorum expers et nonnisi ob discessum suum exprobatur.

V. 67. Describit Bagdadensium singularem amorem erga Abulkas. — Quae hic requiritur significatio secundae coniugat. verbi اشب apud Gol. et Cast. non exstat. Schol. اشّبت اى اطبقت وشجر اشب اذا التف بعضه ببعض; consentit Firuzab. in Camuso dicens: أشَبَ الشجر التف كتاشب واشبته تاشيبا

V. 68. Comparat laudatum cum fulgure, dicens: ut nubes densa impedire non potest, quominus fulgur erumpat, ita Bagdadenses Abulkas. retinere et a discessu arcere non possunt.

V. 69. Iam addit in fine carminis admonitionem quandam, qua non minus Abulkasemi laudes quam ceteris versibus celebrat. Laudat nimirum praestantiam

carminum Abulkasemi, quem poetam fuisse ex secundo et sequentibus huius carminis versibus apparet, dicens (v. 71.): Carmina illius tam praeclara sunt, ut opulentissimus quisque, nisi quaedam eius verba in thesauro suo recondiderit, pauper censendus sit.

V. 72. Se ipsum alloquens poeta carmine suo legem laudis Abulkasemi praescripsisse dicit, quae non minus observanda sit, quam ea, quae Abrahamus de Meccae visitatione sacra dedisset. Locus ille Coranicus, ad quem poetam hic alludisse vult schol., est: واذن فى الناس بالحج ياتوك رجالا وعلى كل ضامر vid. Sur. XXII. v. 28. ed. Hinckelm.

V. 73. Dicere vult, laudem Abulkasemi omnibus linguis celebrari.

V. 74. Hanc Abulkasemi laudandi legem omnibus, qui sermone valent, imponit, seque inter poetas antistitem appellat, cui in hoc obsequium praestare ad unum omnibus officium esse dicit.

ANNOTATIONES

AD CARMEN ABULOLAE ALTERUM.

Vers. 1. Magno amore avunculi impulsus poeta carmen suum pie et solenniter incipit, dicens: illi soli admiratione ipsius semper deditos esse animos, sive praesto esset sive remotus.

V. 2. Dicit: perspecto amore, quo affectus es erga tuos, et insomnia, quam illorum causa sustines, tecum certamus in exercendis hisce virtutibus.

V. 3. In voce استزادا ultima littera ا ob metrum apposita est; talis licentia dicitur اشباع *saturatio*, et saepissime occurrit. vid. Sacy Gr. t. II. p. 374. cf. infra v. 26. 31. 43. al. — Sensus, nisi timendum esset, ne nos excessisse modum putaremur in eo quod diximus, arroganter contenderemus, nostrum amorem et insomniam maiorem esse quam tuum.

V. 4. Dicere vult poeta alios, eum in itinere sibi opes comparasse, itineris excusandi et defendendi causa dixisse; sed num ipse, quaerit poeta, amorem tenerum, quo ipsum propinqui prosequebantur, invenit unquam?

V. 5. Suffixum ها in عرايكها ad vocem عرايك referri posse videtur. Comparat, nisi fallor, propositum avunculi cum camelo haud tractabili, cuius gibbus durus et callosus est, eamque ob causam mitigari non potest. Solent enim camelos saevos eo, quod fricant eorum gibbum, ad obedientiam reducere. Eodem tendere videtur vocis عرايك explicatio, quam schol. ad h. l. affert: العرايك جمع عريكة وهو ما يعرك باليد اى يغمز ليعلم اصلب هو ام لين وقيل للسنام عريكة لهذا وفلان شديد العريكة اى صعب الانقياد وقد لانت عريكته اى سلس وذهبت نخوته. Sensus est, avunculum tot tantasque

difficultates, quae ipsi in itineribus superandae erant, a proficiscendo nunquam deterruisse.

V. 6. Hoc versu incipit poeta describere itinera avunculi sui diuturna et molestissima. Primum fingit stellas in itinere nocturno avunculum comitantes, sed, quum ulterius eum sequi non possint, cupientes, ut Deus eum, qui remotiores quam ipsae petat regiones, adiuvet. — Similiter in versu sequenti ventos procellosos ob lassitudinem cum avunculo iter facere non posse describit.

V. 8. et 9. Sensus, avunculum itineribus nocturnis semper eligere noctes aterrimas luna non illustratas.

V. 11. Vocabulum نوء bene illustrat schol. his verbis: النوء سقوط نجم من منازل القمر فى المغرب مع الفجر وطلوع رقيبه من المشرق يقابله من ساعته فى كل ثلثة عشر يوما والعرب تنسب الامطار الى هذه الانوء فتقول مطرنا بنوء كذى ثم يستعار النوء للسحاب. Fingit poeta nubes, misericordia tot itinerum avunculi permotas, aquam fudisse, ut illum adiuvarent utremque eius implerent.

V. 12. Vox جساد in lexicis Gol. et Cast. desideratur. Apud Golium exstat جِسَاد eadem significatione, quam nostrae voci tribuunt Firuzabad., schol. ad hunc versum et Ibn Nahas in schol. ad Tar. v. 47., qui per الزعفران *crocum* explicant. — Quum adventus tuus nobis quam maxime gratus sit, solemus eum, qui huius nuntium nobis affert, honore afficere. Corvo hic nuntius tribuitur, eamque ob causam dixit poeta, se croco, quae est laetitiae color, eum tingere. Si homini hunc nuntium tribuisset, dicturus poeta fuisse videtur: „ego honoris et laetitiae veste eum dono."

V. 14. Describit laetitiam de adventu avunculi et venerationem, qua iumenta, quibus advectus est, excipiuntur. Posterior versus pars „*exhaurimus vaginam gladii tui et balteum*" eget explicatione, quam scholiastae verba mea faciens dabo. Comparat nimirum poeta vaginam gladii et balteum cum amata, cuius oris salivam iuvenis amore nimio flagrans osculis exhaurit.

V. 15. Dicit: tanti habemus equos, quibus vectus es, ut sitientes aquam ab illis relictam bibamus. Observandus est lusus verborum in vocibus جواد et جُوَاد huius versus.

V. 16. Comparat equos cum coelo gloriae, eorumque pedes cum columnis, quibus illud sustinetur.

V. 17. Intelligit poeta pulverem, quem avunculus pedibus suis conculcavit. Versus Motenabbii nostro similis exstat apud Bohlen de Mot. p. 76. v. 4. Metr. Basith.

[illegible] ترابه فى كلاب كحل اعينها وسيفه فى جناب يسبق العذلا [illegible]

[illegible]

r. Pulvis (pedum) eius inter Kelabitas est stibium oculorum ipsorum, at ensis inter Genabitas praevertit reprehensionem.

ad quem auctor haec annotavit: „Kelab erat tribus laudati, quae propter amorem in eum pulvere pedum eius pro stibio utitur."

V. 18. بنو سبيكة sunt tribus avunculi, quem in hac Casida laudat. Transit ad describendam celeritatem itineris.

V. 21. Hunc versum cum duobus praecedentibus laudavit Reisk. in not. ad Tar. p. 60., ut ostenderet, quantopere Abulolae ingenium in describenda gracilitate camelorum luxuriaverit. Audacter enim comparat hoc loco camelos albos graciles pectinibus, quibus crines tenebrarum discriminantur. Quin audacius poetum nostrum iam supra loquentem audivimus. cf. not. ad carm. I. v, 32. 35. et 36. — De voce المدارى schol. haec: المدارى جمع مدراة وهى شبه مغزل تفرق به النساء شعورهن.

